FRANCISCI MARII

PAGANI BURGENTINI.

POLITICUM

UNIVERSÆ ROMANORUM NOMOTHESIÆ

EXAMEN

LIBRO SINGULARI

In Treis Parteis diviſo comprehenſum.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

NEAPOLI
JOSEPHUS RAYMUNDUS
JURE LEGITIMEQUE EXCUDEBAT
ANNO MDCCLXVIII.

Digitized by Google

Νομους ου πολλους, αλλα παυρους και γενικους ειναι δει

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

PETRO LEOPOLDO

ÆTRURIÆ ARCHIDUCI

AD PRINCIPATUM A NATURA INFORMATO, VEREQUE INSTITUTO, POPULORUM DELICIO, NOVO ITALIÆ ORNAMENTO, AMPLISSIMOQUE LITERARUM FAUTORI, RESTAURATORI, MÆCENATIQUE

Ejus numini, Regiæque Excelſitudini quam maxime addictus

FRANCISCUS MARIUS PAGANUS

CUm varias imperiorum vices, diverſaſque literarum ſortes ſedulo, crebroque mecum ipſe expenderem, inque animum revoca-

Digitized by Google

rem ; beatas ſane , Princeps æterna memoria digne , invidendaſque Reſpublicas illas fuiſſe comperi, quæ iis commiſſæ fuerunt Principibus, qui eximiam fortunæ ſapientiam , literarum bonarumque artium ſtudium copularunt atque adjunxerunt : ita ut coſtantes ſemper, arctiſſimeque conjunctæ literarum ſors, ac Reipublicæ beatitudo fuerint, ac pari ſemper æquoque greſſu earum Fortuna proceſſerit . Ac profecto , ut tempora nimis vetuſta antiquitate remota prætereamus: ex quo bonæ literæ, quæ fugatæ barbarie in parvis Europæ angulis ſemianimæ diu delituerant, Italorum maxime ingeniorum ope revixerunt denuo barbaris imperaturæ, atque Principibus, Mæcenatibuſque in pretio ornamentiſque eſſe cœperunt; publica protinus populorum felicitas exorta ac viſa eſt. Ea vero res tum ſemper florentiſſimæ Ætruriæ hiſtoriis , tum

præ-

præſenti ejus felicitate extra omnem dubitationis aleam ſtatuitur. Poſtquam enim Principatum, Tu Magne Leopolde, qui non ſolum literarum, doctorumque ſtudioſus, ſed & eruditus ipſe, interiorique ſapientia initiatus, immo Auguſtus Muſarum Antiſtes es, divinitus ſuſcepiſti; Heroicorum temporum beatitudo vetuſtiſſimo Ætruriæ regno jam rediit. Imos enim ſorteque humiles, virtute tamen literiſque diſtinctos raro exemplo ad ſummum faſtigium elevas, juvenes ad bonas literas arteſque hominum cœtui neceſſarias ad beate vivendum præmiis incitas, impellis, nec niſi virtute laboreque ad ſummos honores aſcendere quemquam pateris. Hinc non gratia, favore, pecunia, ſed virtute dignitatum candidati apud Te certant. Hinc ipſa virtus publico omnium voto adpetitur, ipſaque in pretio unice vulgo habetur, atque ex ea homines, non impo-

tenti, fallacique faſtu, non ineptiis æſtimantur. Magna, ſed vera loquor. Nec mendacii, aut adulationis notam pertimeſco, cum in ea Europæ parte verba faciam, qua res tuæ præclare geſtæ propius conſpiciuntur, omniumque ore concelebrantur. Quid Europæ partem dicam? Cum tota fere Europa Immortalium actionum tuarum teſtis; prædicatrixque ſit. At jure meritoque præ omnibus te in cœlum tollit Ætruria, quam ter, quaterque beatam prædicant omnes, quæ non lacrymis Immortales ſuos Mediceos Heroas in poſterum deſideret. Cum enim te patrem, verumque commiſſi gregis paſtorem nacta ſit, quid præterea optet, haud illi eſt. Ipſe enim omnium vota expectationemque longe ſuperaſti. Cum enim a Deo Optimo M. Principem, qui veteres virtute referret, Etruſci efflagitarent, talem Divina ipſis Providentia conceſ-

ceſſit, quem ſupra antiquos omnes civium pietas, ac divina illa numquam ſatis laudata philantropia extollit: Quo viſo ſenum alii ſe ſatis jam vixiſſe prædicant, ut de Trajano prolatum quoque fuiſſe Plinius ſcriptum reliquit, juvenes vero novæ, recentiſque ætatis maxima ſubit voluptas. Principem, an Patrem habuerint, ignorant. Hoc certe ſciunt ita te habere, tamquam unus eſſes de civibus, queis hoc tantum major videri vis, quo melior, ac præſtantior: Tantumque abeſt, ut ſupra mortalium ſortem te poſitum putes, æqualitatemque hominum faſtidio aufugias, aut perhorreſcas, ut privatorum domus, frequentes civium cœtus ſæpiſſime adeas, ea manſuetudinis, majeſtatiſque copulatione, ut majeſtati nihil humanitas, nec facilitati gravitas quicquam detrahat. Ita & aliquando communis memor ſortis per agros privatim obambulans, ne uſum pedum

amiſiſſe videaris, confuſa cum vulgo veſtigia ſignas, cumque agricolis populares commiſces ſermones. Pol quam hæc duo bene noſti! *Nulla ſane re Deo ſimiliorem reddi Principem, quam ſi & animorum imperio polleat; ab omnibuſque diligatur: Diverſaſque præterea humanarum rerum conditiones, perſonaſque hominis naturam minime immutare, ſed tantum ſtatum ſortemque*. Quam egregie, Tu Magnanime Princeps, ſapientum præcepta moribus exprimis! quam ſublimis philoſophia vita tua eſt! Cum vero aliquando perſona obductus privatus inter privatos verſaris, choræarum, ſolatiorumque conventus oberras, Deos imitari videris, quos humanis obvelatos formis urbes circumire, ut hominum juſtitiam moreſque obſervarent, vetus Theologia docebat. Hinc hoſpitibus ſimiles Immortales hominum facta cognoſcendi cauſa terrarum orbem peragrare Homerus Poetarnm,

ſa-

ſapientumque pater non ſemel cecinit. Cui concors Heſiodus Deos caligine obtectos, ut juſta, vel prava mortalium opera veſtigarent, per terras paſſim oberrare, munuſque Regium iſtud obire in æterno Εργων opere teſtatur. En igitur, Immortalis memoriæ Princeps, quam divina, quam Regi conveniens, quam glorioſa nova hæc tua vivendi ratio! Verum ne Tibi perſuadeas mentem mihi tam lævam eſſe, ut duabus hiſce dedicationis pagellis laudes tuas complecti velim. Quæ enim chartæ non inquam ſingula tua præclare geſta pro tua gloria digne valeant enarrare, ſed unam annonæ caritatem maximamque præteriti anni inopiam, quam vilitas Providentia, ac Munificentia tua excepit: vel recentiſſimam, nec primam liberalitatem, qua miſeros homines ære alieno obſtrictos, vinculiſque devinctos, quo ſane nomine ſocietatis, hominumque com-

mu-

munionis illos tædet, ac ſæpe querelas propter naturalis ſtatus cum civili permutationem erectiores proferunt, carceribus facinoroſis dignioribus novus Hercules liberaſti; non tamen creditorum damno, quibus debitum a te omne perſolutum: vel magnum illud immortaleque opus, quod nuper adgreſſus es, de cultu ac ſalubritate agro Etruſco Summorum mathematicorum, artificumque opera reſtituenda. Uberiori orationis copia hæc alias nobis dicentur, ſi Deus otia fecerit. In præſentia illam ſolum, quæ ceterarum fons ac caput eſt, animi tui virtutem indigitare ſatis ſit, qua te leniorem patre, amantioremque experiuntur cives, qua Te facilius adeunt cujuſque fortunæ homines, quam amicum, quam familiarem! Ex qua merito Te ſummo colunt amore. Non Te vita cariorem habebunt, quorum non dominatum, ſed tutelam, procurationemque ſuſcepiſ-

ſe

ſe videris, quos non pœnarum terrore a vitiis abducis, ſed exemplis doces, inſtruis? Perſpectum ſiquidem habes: *metum infidelem recti magiſtrum, exemplum vero optimum*. Hinc dulciſſima aliorum cenſura vita tua eſt, ad quam diriguntur ac convertuntur omnes. Hac pravos extirpaſti mores, quos non ſeveriſſimæ coercuiſſent leges. Hæc certe, aliaque innumera, Magne Petre Leopolde, totius Europæ oculos in Te converterunt: Hinc eſt, quod boni omnes ſtudiis, amoreque te proſequntur. Hiſce profecto & ego motus, ut animum meum tibi devote ſtudioſeque addictum patefacerem ac commonſtrarem, & haſce juveniles meas lucubratiunculas novo nuper typo in lucem editas, quibus nec ego contentus ſum, tantum abeſt, ut Te ſint dignæ, audacter dicarem. Verum, ne te longius Hymenæi tripudiis, nuptiarumque Feſtis Auguſtæ Germanæ cum

Fe-

Feliciſſimo Rege noſtro avocem, finem facio, Tuamque Regiam excelſitudinem demiſſe rogo; ut jucundo, humanoque, qui mos eſt Tuus, viſu hunc librum meum excipiat; Deique O. M. exemplum ob oculos habeat, qui incultum carmen pia mente dictum minime dedignatur. Vale, Princeps vere magne, teque Jeſus Chriſtus bonorum omnium largitor populorum bono vita felicitatibuſque augeat, lucupletet, Ditet.

JO-

JOSEPHO GLINNIO

HOTOMANO

Juveni ob multiplicem exquiſitamque eruditionem ſumme ſuſpiciendo

FRANCISCUS MARIUS PAGANUS

S.

MUlta de interiori juris ratione, reconditaque legum doctrina, incomparabilis Joſeph, animo expendenti, vetereſque memorias, tum rectas optimaſque Rerumpublicarum formas, tum quaſque cultarum gentium πολιτείας mecum repetenti, deque hiſce omnibus quamplurima ſæpe agitanti, non pauca de univerſa Romanorum Nomotheſia, ac Jurisprudentia ſe mihi diſputanda obtulerunt. Memoriæ cauſa in ſchedis quædam adnotaveram tantum, cum bella ſe mihi in lucem excogitata noſtra edendi occaſio obtulit. Ea nempe ad librum, qui præterito anno typis excuſſus eſt eruditiſſimo auctario tuo locupletatus, præfari in animo erat.

At

At conſilium noſtrum valetudo graviter adfeᴄta retardavit. Veteri enim gravique morbo in vitæ diſcrimen iterum adductum, cum libros de manibus medicorum juſſu majores, conjunctique excuſſiſſent, ad antiquæ Lucaniæ montes, quibus primum vitaleis auras adſpeximus, ablegarunt. Poſtea in hanc civitatem, priſtinamque ſalutem reſtitutus operam dedi, ut lectione, ac meditatione pauca, quæ prius verſaram, augerem; inque epiſtolam redacta ad te darem. At cum opinione mea plus creviſſent, quæ Epiſtola complectebatur, in librum ea feſtinanter digeſſi. Quæ autem feſtinationis cauſa fuerit, tu probe tenes: ut tenue nempe iſtud ingenii noſtri munus præſenti Ætruriæ Archiduci tamquam Tutelari literarum Genio dicarem: non vilis quidem lucri, aut favoris cupiditate impulſus, verum, ut quanto ſtudio divinam, indicibilemque immortalis Juvenis, egregj Principis virtutem proſequantur muſaram alumni, ſentirent univerſi. Ea igitur properatione cum me & aliis occupatum curis, variiſque diſtractum tempus, ociumque deficeret, rem penitus, ac undequaque abſolutam proferre non potui. Nec enim me fugit maturiori meditatione,

ma-

majorique ſpatio mihi opus fuiſſe, ut hæc ipſa diſtinctius, clarius, elegantiori ſtilo, ordine concinniori, oratione paulo robuſtiori expromerem. Sed & illud quoque minime ignoro nec picturas, ſtatuaſque ex artificis manu primum, nullo nævo inſignitas prodire, opera vero, caſtigationeque quotidie accedente optimas tandem evadere. At quæcunque iſta noſtra ſint, ad te, Joſeph παλαια τε μυριατε ειδως, pro ea vitæ neceſſitudine, quæ tecum mihi eſt, mitto, ad Te, inquam, quem tanti ego facio, ut judicio tuo præ ſexcentis ſim contentus. Talem enim tuam ακριβειαν, criticemque in exactiſſimis judiciis de veterum, recentiorumque operibus proferendis expertus ſum, ut, ſeveriſſimo tuo calculo meas haſce lucubrationes adprobante, habeam, quo de mihi merito gratuler, certuſque ſim quidnam docti ceteri de hoc noſtro libro ſint judicaturi. Vale, litterarumque bono vive quam longiſſime.

Dabam Neapoli Id. Maj. an. MIƆCCLXVIII.

Digitized by Google

F
ſa
er
ga
ve
ne
ma
eo
Ju
no
Poſ

Digitized by Google

Magnif. U. J. D. D. Dominicus Mangieri in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor Primarius, revideat & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 19. Apr. 1768.

NICOLAUS DE ROSA EPISC. PUT. CAP. MAJ.

S. R. M.

JUſſu tuo, qua potui, diligentia perlegi Opuſculum, quod inſcribitur: *Politicum Franciſci Marii Pagani Burgentini Univerſæ Romanorum Nomothesiæ examen*: in quo eruditiſſimus juvenis, cum de hoc pereleganti argumento ſcite & curate ediſſerat, veras Romanarum Legum politicas rationes ex vetuſtis monumentis, Reique Romanæ forma feliciter eruit. Cum nihil in eo repererim, quod publicæ tranquillitati, Juribuſque Majeſtatis Tuæ adverſetur, bono publico edi poſſe cenſeo. Dab. Neap. Poſtrid. Id. Maj. CIƆIƆCCLXVIII.

Dominicus A. Mangieri.

Die

Die 31. menſis Maji 1768. Neapoli.

Viſo Reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die 28. menſis, Maij, & anni, ac relatione U. J. D. D. Dominici Mangieri, de commiſſione Rever. Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur, cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris; verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica hoc ſuum.

PERRELLI. SALOMONE.

Illuſtris Marchio Citus Præſes S.R.C. tempore ſubſcriptionis imped. Ill. Aul. Præfecti non interſ.

Reg. fol. 4. *t.*

Carulli. Athanaſius.

Adm. Rev. Dominus D. Joh. Baptiſta Gori S. Th. P. & Curiæ Archiep. Exam. Synod. revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 9. Decembris 1767.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

Impeditus.

Ioh. Baptiſta Gori.

Adm. Rev. Dominus D. Julius Laurentius Selvagius S. Th. P. Canonum Lector, & Curiæ Archiep. Exam. revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 17. Feb. 1768.

F.X. EPISC. VENAFREN. VIC.GEN.

JOS. SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTSS. PRINCEPS.

OPus inſcriptum: *Politicum Franciſci Marii Pagani Burgentini univerſæ Romanorum Nomotheſiæ examen &c.* Eminentia Tua jubente avide quidem, nec ſine magna animi voluptate perlegi. In eo juvenis ſane egregii, ac optimi ingenium, eruditio, ac in ſcribendo ἀκρίβεια maxime elu-

lucet: quandoquidem peculiare quoddam Romanæ antiquitatis caput hactenus involutum, ac veluti ſenticetis obſitum, corraſis undique ex ultima vetuſtate abditiſſimis, iiſdemque graviſſimis monumentis veluti e tenebris, & ſqualore excitatum judicio acri, adcuratoque expendit, ac germana latini ſermonis integritate conſcriptum litterariæ Reip. exhibet. Porro non ego quicquam in eo offendi Fidei, aut Ethicæ Chriſtianæ adverſum. Qua de re typis committi poſſe cenſeo: modo qualicunque huic meo judicio Tuum quoque, Em. Princeps, Placitum accedat. Neapoli 3. Kal. Jun. CIƆIƆCCLXVIII.

Emin. Tuæ.

Umiliſs., devotiſs., obſequentiſs.
Julius Laurentius Selvaggius.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum die 1. Junii 1768.

F.X. EPISC. VENAFREN. VIC. GEN.

JOS. SPARANUS CAN. DEP.

PRAEFATIO.

AD LECTORES.

In qua conſilium noſtrum aperimus.

NE longioribus prologis ſcribendis operam abuti videar, lectores humaniſſimi, quodnam conſilium meum; quidve hac novi operis editione velim, paucis tenete. Quum Juris ſtudio primis uſque ab annis me dicaſſem, Romanæque Juriſprudentiæ addiſcendæ non tenuem operam impendiſſem; ita me geſſi, ut Juris ſtudia a philoſophicis, atque politicis haud unquam ſepararem; ut non ſolum bonum legum interpretem, verum etiam politicum hominem, Reipublicæque utilem me aliquando, diis bene faventibus, præſtarem. Utrum, quam oculis avide devorabamus, laborum metam, adſecuti ſimus, penes æquos rerum æſtimatores judicium erit. Quantum ad nos attinet, quoniam vitam ſic inſtituimus, ut qua poſſemus ratione, alios juvaremus, nec terrae juxta Heſiodeum haberemur inutile pondus; haſce ſtudiorum noſtrorum primitias in lucem protulimus: ut in

in publicam literarum felicitatem aliquid & nos conferremus. Quoniam vero omnis civium Beatitudo ex optimis legibus proficiſcitur; Romanorum Nomotheſiam, qua nos utimur, quaeque omnium populorum conſenſu recepta, amplexaque eſt, ad Criticam Politices trutinam revocare, atque expendere adgreſſi ſumus, ut, ſi celeberrimam hanc Nomotheſiam nec rectæ legum ferendarum rationi, nec Reipublicæ bono conſentaneam dignoſcamus; ſummos viros philoſophos; jurisſque conſ. tanto labori pares impellamus, incitemus, commoveamus, ut generalem meditentur legum ἐπανόρθωσιν, atque exinde Auguſti terræ Rectores Divino moti conſilio ad ingentem populorum felicitatem iis auſibus, laboribusque ſupremam impertiantur, publicamque auctoritatem. Quumque varias, diverſaſque Juriſprudentiæ ætates fuiſſe compertum habeamus, de cujuſque ætatis nomotheſia Judicium liberum, rectumque proferemus. Temere forſan egiſſe quibuſdam male feriatis videbimur, quod, cum vix nobis vertatur prima lanugine ætas, opus adgreſſi ſumus, quod ſummum, acreque judicium, tum & lectam eruditionem deſideret. Horum vero, qui e præjudiciis de auctoribus, eorumque operibus judicia edunt, non ex rei

ve-

veritate, *rationem non habemus; ſed tantum illorum; quos ſcimus* Munita tenere Edita doctrina ſapientum templa ſerena.

Quos humaniores judices experturos confidimus, *illoſque ita rogitamus*.

Exemplum ſtatuite in me, ut Adoleſcentuli
Vobis placere ſtudeant potius; quam ſibi.

Et ſi benigne haſce noſtras elucubratiunculas excipient, *rem optime praeſtabunt*. *At verbis jam amputatis in arenam dubium periculum noſtri facturi deſcendamus*.

 PAR-

De veris Regiarum legum auctoribus.

JUriſprudentiae Romanae per omnes aetates judicium inſtituturi omnium primum de antiqua illa adeo hiſtoriae lumine deſtituta Nomotheſia ſermonem habebimus; ipſamque, quantum conjecturis, atque divinationibus, ſedula, acrique veterum monumentorum critice valemus, breviter illuſtrabimus. Antequam vero de iis Regum, qui Romæ imperium tenuerunt, legibus, quæ a veterum ſcriptis excerptæ, inque unum corpus a doctis viris conlatæ circumferuntur, ſententiam, judiciumque noſtrum, quod ſit, proferamus; hoc te commonitum, lector, volumus: Leges haſce, qua nunc lingua ſcriptas cernimus, nequaquam adjudicandas eſſe veteribus Regibus illis, quorum vix nomina, ſi fabuloſas illorum hiſtorias cum doctioribus reſpuas, nobis innotuerunt. Quum enim Regiarum legum lingua omnino cum Decemvirali conveniat; ecquis ſibi in animum induxerit, quum tantum Tullius a Plauto; Plautus ab Ennio atque Pacuvio, ipſeque Ennius a De-

Decemviris, verborum diverſitate, totiuſque linguae forma diſcrepet; eadem Romulum in ea gentium colluvie, atque Appium Claudium adeo ætate, ſeculique cultu inter ſeſe diſtantes lingua eſſe locutos? *Cum non modo Epimenides poſt annos* L e *tenebris excitus a multis non cognoſcatur, ſed etiam Teucer Livj poſt annos duodecim ab ſuis, qui ſit ignoratur*, ut Varro a nobis ita reconcinnatus VI L. L. lib. ait.

Immo non adeo vetuſtae aetatis, Regiaque admodum recentioris inſcriptiones, quae ſunt repertae, tantis offunduntur tenebris, tantaque involvuntur obſcuritate; ut interpretes in latina lingua verſatiſſimos multum exercuerint. Adeo ab illa lingua differunt, quam nos latinam vulgo adpellamus. Inſcriptiones illas intelligo, & quae Duillio a P. R. primo bello Punico poſita eſt in columna, quae a viro docto Ciacconio egregie prae ceteris illuſtratur, atque ad Hiſtoriam reconcinnatur: & quae L. Scipionis Barbati Filii elogium continet, quae ita incipit *Hoinc. Oino. Ploirum. Conſentiont*. Quam Sirmondus explicat, inque lucem revocat.

Si hæ primo bello punico antiquiores mi-

minime ſunt, nec genuinæ illæ, vereque antiquæ, quas ſcriptores meminerunt; tantamque redolent vetuſtatem; quale fuiſſe putas Saliare Numæ carmen, quod C. Ælius homo in latinis literis apprime eruditus cum interpretatus eſſet, pleraque, teſte Varrone, obſcura reliquit, paucis lucem attulit? Qualia priſca illa verba poetica, quæ Romuli regno nata ſunt, ipſo clamante Varrone veterum Grammaticorum eruditiſſimo l. c.? Qualem ipſam Romuli linguam; qui antiqua præſertim Latii, ex quo originem duxiſſe fertur, locutione uſus eſt? Quæ temporis, a quo immutantur omnia, novamque ſpeciem deſumunt, progreſſu *adeo eſt verſa, ut vix ulla pars ejus maneat in notitia*, inquit Feſtus in verbo *latine loqui*. Quæ verba a Scaligero abjudicantur Feſto, ac Paulo tribuuntur, quaſi ex ſummi viri ſententia, de barbara ſua aetate, qua latina locutio omnibus erat incognita; ab ipſoque parum, perperamque intellecta, ſemibarbarus auctor dixerit. At cum nullo argumento id adfirmet, niſi de more voluntatem pro ratione obtrudat vir ſummus; haud illi auſcultabimus. Feſto vero concinit Polybius Meg. Hiſt. III. cujus verba ſane nota haec ſunt. Τηλικαυ-

τη

τη γαρ ἡ διαφορα γεγονε της Διαλεκτου και παρα Ρωμαιοις της νυν προς την αρχαιαν, ωστε τους συνετωτατους ενια μολις εξ επιστασεως διακρινειν. „ Veteris ſane linguae e„ tiam latinae tanta diverſitas eſt ab illa, „ qua hodie utuntur, ut vel peritiſſimi „ nonnulla aegre, ubi animum attenderint, „ explanare queant. Quamobrem ipſe ille Romanarum Antiquitatum doctiſſimus Varro de vetuſtiſſimis Romanae linguae verbis, quae oblivia dicit, ſcribere diffiſus eſt. Inquit enim IV. L. I. lib. *Igitur quoniam haec ſunt tripartita verba, quae ſunt aut noſtra, aut aliena, aut oblivia. De noſtreis dicam cur ſint, de alienis unde ſint, de obliveis relinquam, quorum partem ita, ut invenerim, ſcribam. De obliveis* itaque, primis nempe Romanae gentis verbis, quorum tanta annorum intercapedine alta interceſſerat oblivio, ſcribere Varro non auſus eſt. Priſca namque verba adeo immutantur, ut eorum tandem ſcaturigo lateat: quumque pro veteribus nova ſubſtituantur, eorum notio plane interit. Ipſe Varro in Fragmento quodam de Graecis verba faciens ait: *Multa vetera illorum ignorantur, quod pro iis aliis nunc vocabulis utantur.*

 At-

Atque ob hanc rationem apud Gellium ille, qui de Proletario interrogatus fuit, reſpondit ſuum minime eſſe priſca Romanorum verba, quae jam erant oblivia, quaeque a Latinis ipſi Romani acceperant, interpretari. *Ego vero*, inquit, *dicere, aut interpretari hoc deberem, ſi jus Faunorum, & Aboriginum didiciſſem*. Atqui Aborigines & Fauni primi Italiae incolae fuerunt. *Faunos* quidem priſcos latinorum Deos Varro interpretatur: at ego potius Faunos, quae & doctorum virorum ſententia fuit, Latinorum vates, ſacerdoteſque, qui Divina ederent oracula, fuiſſe arbitror. Quam ſententiam mire confirmat Ennius apud Varronem in verſibus in Naevium, qui Saturnio carmine ſecundum bellum Punicum ſcripſerat

. . . Scripſere alii rem
Verſibu', quos olim Fauni, vateſque canebant,
Cum neque Muſarum ſcopulos quiſquam ſuperarat,
Nec dicti ſtudioſus erat . . . . .

Erant itaque Fauni Deorum antiſtites, atque miniſtri; qui oracula, ut diximus, ederent, quales & Homericos θεμιςας fuiſſe in noſtra Homerica θεμιδι docebimus; quam,

quam, dis bene faventibus, quamprimum edemus.

Sed, ut ad rem noſtram revertamur, aliiſque ſcriptorum auctoritatibus priſcam linguam adeo immutatam, ſeculorumque aevitate inveteratam; ut alia pene uterentur lingua recentiores Romani, confirmare pergamus; teſtem ex Macrobio ex l. I. Sat. c. IV. Avienum adducemus, qui cuipiam priſco ſermone ex ſtudio loquenti haec exprobrat: *Horatii illi Trigemini plane, ac dilucide cum ſuis fabulati ſunt, neque Auruncorum, aut Sicanorum, aut Pelaſgorum, qui primi coluiſſe in Italia dicuntur, ſed aetatis ſuae verbis loquebantur. Tu autem perinde, quam cum matre Evandri non loquere. Vis nobis verba multis jam Sæculis obliterata revocare*. Quem locum Macrobius ex Gellio deſcripſit iiſdem prope verbis; apud quem l. I. Act. Noct. haec dicit Phavorinus Philoſophus in Juvenem nimis priſce, atque obſolete loquentem. Apud eumdem porro Gellium eadem quoque obiicit Grammaticus cuidam ſat vetuſta, atque obſoleta exempla in medium proferenti. *Tibi*, inquit, *habeas auctoritates iſtas ex Faunorum, & Aboriginum ſaeculo repertas*.

tas. Gellii locum non teneo, cum verba ſine loco in ſchedis meis adnotata repererim. Atque auctoritates haſce, quas e multis a nobis prudenter, ne lectorem taedio afficeremus, omiſſis ſelegimus, non alia de ratione adnotavimus; quam ut Feſtum recte de priſca locutione, quae adeo erat immutata, ut parum intelligeretur, ſcripſiſſe confirmaremus. Ac revera quum veteres Grammatici e priſca illa Romanorum lingua nonnulla nobis verba conſervaverint, ſi cum iis recentiora conferantur; tantum inter ſe diverſa reperies, ut de veteri lingua idem cum Feſto ſentias opus ſit. Ne plus aequo hac in re detineamur, ſexcenta heic priſca verba non congero, quam inaudita bone Deus! quam inuſitata, atque inſolentia! Quid Tueſca? quid Caſnar? quid Cuprum? Quid verba illa ante aedes inſcribi ſolita *Arſe verſe*, quae interpretantur, *ignem averte*, & hujuſmodi innumera proferam? Atqui peregrina iſta, Tuſca, Latina, Sabina fuiſſe aliquis excipiet. Peregrina haec fuiſſe non inficiamur; verum ideo a latinis Grammaticis collecta, atque memoriae prodita ſunt, quod illis priſci Romani ſint uſi. Non enim aliorum populo-

lorum voces a Romanis non uſurpatas, ſed Romanorum verborum origines inveſtigarunt, atque complexi ſunt. Et vetus ille Romanorum ſermo a peregrinis linguis profluxit, originemque duxit. Quoniam vero huc oratio progreſſa eſt, inopportunum haud erit, unde Romanus ſermo ortum habuit, brevi proſequi inveſtigatione.

Ante omnia vero Romanae gentis leviter primordia, origineſque cognoſcendae. An Phryges in Italiam appulerint, non heic quaeram; ne in veterem quaeſtionem antiquitate ſat obſitam iterum impingam. Odioſum eſt enim mihi dicta iterum recoquere, ut Homericus Uliſſes ait. Satis, ſuperque graviſſimam hanc quaeſtionem cum magno agitarunt Bocharto eruditi viri. Si quis vero quaerat non ſimulatum animi mei judicium hac in re quodnam ſit; non renitentem, ſed facilem, promtumque me ſciat eſſe. Nimis mihi certe leves, parvique momenti rationes illae videntur, quae contra AEneae in Italiam adventum a ſummo viro adſtruuntur. In hiſce tamen remotiſſimae antiquitatis rebus, quae potius longa memoria, atque per manus veluti

ti ſunt traditae, neque a Syncrono aliquo ſcriptore literis ſunt demandatae, nihil certi habeo, aut ſtatuo: atque optime factum opinor; ſi omnia, quae a recentioris aetatis ſcriptoribus de iis ſunt prodita, in dubium revocentur. Verum ſive in Italiam Phryges appulerint, ſive non; nihil nos id moratur. Nos certum, exploratumque habemus, Romanae gentis originem ab ipſis Italiae habitatoribus repetendam eſſe; ut nec ad colonias confugere opus habeamus. A vicinis enim plerumque civitates in ſuo territorio aedificantur. Quum vero Romanis complures vicini populi fuerint, non una hinc gens iis ortum, incrementumque dedit. Latinos, Etruſcos, alioſque viciniarum populos confluxiſſe ſimul, Romanamque urbem inaedificaſſe credendum eſt. Quumque ex populis moribus, ſermoneque diverſis Romana res principium habuerit, atque conſtiterit; primaevam Romanorum linguam ex multis Dialectis compoſitam, mixtum quiddam, ac miſcellaneum fuiſſe manifeſto conſequitur: nec mirum, ſi barbaram, inconcinnamque linguam illam, quae ex ea gentium colluvie coaluit, ipſi latini ſcriptores dixerunt. Hinc quoque arguas licet, quam fal-

falſe a quibuſdam ſcriptum fuerit vetuſtos Romanos Graece loquutos. Non ideo tamen in dubium revocamus nonnulla Graeci ſermonis veſtigia in latina lingua ineſſe: Graecos namque ſimul ad jacienda Romanae urbis fundamenta e proxima magna Graecia, atque aliunde conveniſſe credere haud inveroſimile eſt. Antiqua immo Graecorum monumenta Romae extabant: locus namque *Argæi* dictus etiam Feſti tempore Romae conſpiciebatur, quo ſepulti illuſtres quidam Argivorum viri ferebantur; qui cum Hercule Argivo Romam quondam commigrarunt. Quod ita memoriae prodidit ipſe Feſtus. *Argæi loca Romae adpellantur, quod in his ſepulti eſſent quidam Argivorum illuſtres viri*. Quo de loco plures antiquitatis ſcriptores, Varro, Livius, aliique meminerunt. Praeterea ab antiquis Grammaticis certe ſcimus Romanos nonnulla verba a Siculis accepiſſe. Verum non inde ſequitur Romanos priſcis temporibus Graeco ſermone uſos. Namque & Hiſpano, ac Syro Sermone Romanos ſuos animi ſenſus explicaſſe ſimili ratione confitendum eſſet; quum ex Hiſpanis, atque Syris verba quaedam in eorum ſermonem fuerint inlata, ut mox do-

docebimus. Ab omnibus nempe populis, Romani tum, a quibus duxerunt originem; tum quibuſcum commercium habuerunt, verba mutuati ſunt. Cum enim ea Romanorum ratio fuerit, ut optimos, variosque vitae uſus, moreſque praeſertim ad militiam ſpectantes ab exteris nationibus, ſi ſuis praeſtantiores utilioreſque rebus agendis deprehendiſſent, ſibi haud dedecori exiſtimantes barbararum gentium exemplum ſectari, arriperent; factum hinc eſt, ut multa peregrina nomina Romanae linguae insererentur. Quamplurima itaque acceperunt ab Gallis, Varro IV. lat. ling. lib. *In heis multa peregrina, ut ſagum, Renogalli quid Gaunacumma ejus ſagum; & Amphimallon Graeca. Contra Latinum Torale quod ante torum.* Quae Varronis verba certe cubant in mendo. Scaliger legebat. *In heis multa peregrina, ut ſagum Reno gallica. Gaunacum majus ſagum, & Amphimallon Graeca.* Ab Armenia etiam quaedam in latinum ſermonem ſunt invecta. Tigris ab Armenia cum multis aliis verbis Romam venit; ut eod. L. Varro. A Syria quoque *Camelus ſuo nomine Syriaco in latium venit* eodem Αρχαιολογῳ auctore. Integros vero Punicos

nicos verſus, nedum verba in latinis ſcriptoribus doctos jam deprehendiſſe vulgatum eſt. At ſi peregrinorum verborum ſeriem, quae in Romanam linguam confluxerunt, pertexerem; non ſane exiguum lexicon tibi, lector, ſiſterem.

Verum etſi a Sabinis, Oſcis, Lucanis, aliiſque Italiae Dialectis Romana lingua conflata fuerit, quod ex innumeris verbis a Varrone, Feſto, aliiſque recenſitis apertiſſime evincitur; Latinus tamen, atque Etruſcus maxime ſermo Romanae linguae origo atfons fuerunt. Ab Etruſcis enim maxima verborum pars ad Romanos demanavit. Quippe quum ab Etruſcis Romani praeter originem Sacra, caerimonias, artes, omnemque politicam habuerint; voces etiam, quibus ea deſignarent, ab iiſdem mutuari opus fuit. Itaque primum Etruſcos, ut ab hac re incipiam, auſpicia, caerimonias, religionem omnem docuiſſe Romanos ipſis latinae Antiquitatis tyronibus compertum eſt. Etruſci in religionis re ſemper conſulti; ipſique ad Sacra adhibiti. Liv. l. I. c. XXII. *Itaque cum ad publica prodigia Etruſci tantum vates adhiberentur.* Hinc Tullius de L. pro veteri Romanorum inſtituto in auſpiciis, aliiſque rebus

rebus, quae ad ſacra pertinerent, Etruſcos vates adhiberi ſanxit. Nec ſolum Tuſcorum caerimoniae Romam allatae; verum etiam ipſi Etruriae Dei Romae culti fuerunt. Vertumnum Etruriae Deum Romae fuiſſe cultum perhibet Varro IV. l. l. lib. *Ab iis dictus vicus Tuſcus, & ideo ibi Vertumnum ſtare, quod is Deus Etruriae*. Camillum quoque ab Etruſcis acceperunt Romani: Mercurius enim Tuſce dicebatur Camillus, quod ad illud Poetae Servius teſtatur.

Alma tibi hanc, nemorum cultrix Latonia Virgo,
Ipſe pater famulam voveo . . . .

Miniſtros enim, noſter Grammaticus inquit, *& miniſtras impuberes Camillos, & Camillas in ſacreis vocabant, unde & Mercurius Etruſca lingua Camillus dicitur, quaſi miniſter Deorum*. Camilli vero nomen orientale eſt: & Camillus Phaenicium numen. Samothraces enim Deos; inter quos Camillum recenſent veteres, Phaenicios fuiſſe prae reliquis Bochartus oſtendit in Immortali Phaleg. Cabiros Phaenices, Graeci vero vim verbi interpretati θεȣς μεγαλȣς, και δυνατȣς, Romanique Divipotes dixerunt. *Cabir* enim Phaenicie, ac Arabice

ma-

magnus, atque potens eſt. Sed redeamus ad Camillum, quem & Cadolum Turreni nuncupabant. Is ex Hebraea radice, ut puto, קום *adſtare* factus. Is enim alicui adſtat, qui eidem adminiſtrat. Camillus itaque idem, quod adminiſter ſonat. Hinc miniſtrantem in aede Jovis puerum in flore aetatis dictum Camillum Plutarchus in Numa tradit. Hinc & Varro IV. lat. ling. lib. ad illud Pacuvii; *Caelitum Camilla adſpectata advenis: ſalve hoſpita: Camilla*, inquit, *qui gloſſemata interpretati dixerunt adminiſtram*, *addi oportet in his quae occultiora. Hinc Caſmillus nominatur in Samothraceis myſteriis Dius quidam adminiſter Diis magnis*. Cum haec de Camilli originatione ſcripſiſſem, eandem hujus ῥητῶς cuſiſſe etymologiam clariſſimum Mazochium deprehendi: utque ne in levibus hiſce quidem, minutiſque mihi plagii obiiceretur crimen; rem, uti ſe habuit, ingenue fateri malui. At in viam revertamur. Vertumnum; atque Camillum Etruſcorum Deos, Romae cultos ex hiſce notum jam, certumque eſt. Omnis itaque Tuſcorum religio a Romanis amplexa, ac recepta eſt. Juvenes immo nobiles, ut Tullius I. De Divinatione me-

moriae prodidit, ſingulis Etruriae populis in diſciplinam traditi ſunt, ut in religione edocti, & Etruſcis imbuti praeceptis Rempublicam hac in re bene regerent. Summis vero Pontificibus, Romaniſque Regibus Sacrificulis Etruſci Sacrarum ſcientiarum praecepta praeſcribebant. Verum haec ſunt vel lippis, & tonſoribus nota, ut dici ſolet; uti notum quoque eſt, omnia inaugurationis, Geniorumque evocandorum myſteria Romanos ab Etruſcis accepiſſe. Atque haec pauca tantum, ne ſicco pede quod propoſui, & aſſerui, a me pertranſiretur, adnotare placuit.

Non ſolum vero religionem, ſed Architecturam etiam ab Etruſcis antiquiſſimis uſque temporibus, ad Romanos advectam fuiſſe Latini ſcriptores non obſcure ſcriptum reliquerunt. Livius l. 1. de Tarquinio, cui Superbi cognomen, verba faciens, inquit. *Intentus perficiendo templo fabris undique ex Etruria accitis*. Varro IV. lat. ling. lib. *Tuſcanicum dictum a Tuſceis, poſteaquam illorum cavum aedium ſimulare caeperunt. Atrium adpellatum ab Atriatibus Tuſceis: Illinc enim exemplum ſumptum.* Muſica quoque liberalium artium omnium praeſtan-

ſtantiſſima, omniſque elegantiae, diſciplinaeque mater, atque fons ab Etruſcis ad Romanos demanavit. Argumento eſt; quod Muſica verba ab Etruſcis Romanos arripuiſſe conſtat. Ex quo enim loco vocabula ortum duxerunt, ex eodem res promanaſſe neceſſe eſt. Subalum muſicum chordarum inſtrumentum, quod plectro pinſebatur, ut in conjectaneis ad Varronem vir ſummus explicat, Etruſcum nomen eſt. Varro l. IV. lat. ling. Ennii verſum proferens

Subolo finitimas propter aquas aſsabat

(ut ὁ πάνυ legere videtur) : *Subolo*, inquit, *dictus, quod ita dicunt Tubicines Tuſci. Quocirca radices ejus in Etruria, non latio quaerendum.* Verum hac de re inferius. Laniſticum praeterea bellicae artis ſtudium, expreſſumque praeliorum exemplar ab Etruſcis Romanos edoctos fuiſſe nulli non notum. Leges etiam ab Tuſcis, ut diximus, ad Romanos manarunt: ex quarum numero illa eſt, quae fratrum, ſororumque nuptias morte multabat: uti ex Soſtrato l. II. Rerum Tuſcanicarum apparet. Ab Etruſcis itaque, ut rem concludamus, populorum cultiſſimis, ſi Graecos excipias, bonas artes

omnes Romani acceperunt. Sed quorſum haec diſputavimus? ut nempe Romanum ſermonem ab Tuſcis maxima ex parte manaſſe abunde intelligeretur. A quo namque populo erudimur, edocemur, inſtituta, moreſque deſumimus, ab eodem verba quoque, ſermonemque mutuamur. Res ſiquidem, ut diximus, cum nominibus e peregrina gente ad aliam pertranſeunt. Praeterea bona ex parte Romana nomina propria ſunt Tuſca. Varro IV lat. ling. cum pleraque nomina propria recenſuiſſet; *Sed omnia haec vocabula*, inquit, *Tuſca ſunt*, *ut Volumnius*, *qui Tragaedias Tuſcas ſcripſit*, *dicebat*. Nec paucis ab Etruriae oppidis nomina impoſita fuiſſe, non ignorant, qui veterum monumentorum memorias pervolutant. Sic Dionyſius, aliique ſcribunt L. Tarquinium Priſcum, cum Tarquiniis viveret, Lucumonem Etruſco nomine fuiſſe adpellatum, Romam vero appulſum nomen mutaſſe, proque Lucumone Lucium, a Tarquiniis vero Etruriae oppido Tarquinium novo nomine nuncupatum, ex more illo, qui apud veteres obtinebat, quo de animae meae dimidium politioris omnis, reconditioriſque cujuſcumque generis litteraturae vaſta, ampla-

plaque ſupellectili eminentiſſimus Joſephus Glinnius Hothomanus plura in grandi ſuo de *nominis mutatione* opere, quod brevi in lucem proferet, quodque ob penitiorem orientalis eruditionis, qua undequaque refertum, notitiam, *caneſcet ſeculis innumerabilibus*: ex antiquo, inquam, more illo, ut quicunque aliam iniret vitae rationem, vel regionem mutaret, vel cui inſigne quidpiam acccidiſſet, nomen mutaret antiquum. Non alia de ratione Appius Claudius, qui cum clientibus ſuis ex Sabinorum oppido Regillo ſexto poſt Reges exactos anno Romam ſe contulit, Claudius poſtea vocatus, cum ante Clauſus diceretur. Ac vetuſtiori quidem nomine illum deſignavit Imperator Tib. Claudius in oratione, quam in Senatu habuit apud Tacitum l. XI. Ann. c. XXIV. *Majores mei*, inquit, *quorum antiquiſſimus Clauſus origine Sabina ſimul in civitatem Romanam, & in familias Patriciorum adſcitus*. Eadem de cauſſa Herodotus ille hiſtoriae parens cum Turiorum colonia profectus, Thurius e mutata regione dictus eſt: ex quo Thurius hiſtoricus a Juliano Apoſtata ſalutatur. Verum innumera occurrunt exempla eo-

rum ; qui nova vitae ratione inita ; vel regione mutata novum deſumſerunt nomen , tam in ſacris literis , quam in profana hiſtoria . Quod adeo verum eſt , ut ſponſae quoque alio ſe nomine adpellarent ; ſi in hunc ſenſum ſunt illi Auſonii verſus interpretandi in Carmine ad uxorem .

Uxor vivamus, quod viximus, & teneamus
Nomina, quae primo ſumſimus in Thalamo.
Nec feret ulla dies, ut commutemur in aevo,
Quin Juvenis tibi ſim ; tuque puella mihi.

Eorum porro , qui vita functi , nomina etiam mutata ſunt ; Heroum praeſertim, quos in Deorum cenſum relatos fuiſſe creditum eſt ; exempla Al. ab Al. Gen. ſexto ; Cuperus in Homerica Apotheoſi ; aliique collegerunt . De hac nominum mutatione & alia non pauca mihi differenda ſe offerrent , verum ne amici a me ſemper ſummo in honore habendi jura laedam , ac perfringam in illius ſegetem facem immittendo, ſilentium mihi impono, ac ad rem meam regredior . In eo autem huc

uſque

uſque levis noſtra opera poſita eſt, ut ex Etruria Romana accerſeretur lingua. Latinam vero cur illam veteres dixerunt? quod ex Latio quoque magna ex parte progreſſa. Varr. IV. l. l. lib. inquit. *Non enim videbatur conſentaneum quaerere me eo in verbo, quod finxiſſet Enniu; cauſam negligere, quod ante Rex latinus finxiſſet.*

Jam Romani ſermonis origines, ac fontes abunde, lateque patent, omnibuſque ſunt in promtu. Binae Romani ſermonis linguae Tuſca, atque Latina Parentes, a quibus ortum; incrementumque habuit. Ceteros vero Italiae ſermones, Oſcum, Sabinum, Campanum, alioſque, quibus Romanorum lingua aucta eſt, Etruſci, ac Latini, qui populorum, qui iis utebantur, antiquitate, amplitudine, imperioque omnibus erant in pretio, Dialectos fuiſſe credere par eſt. Binae vero iſtae linguæ Latina, ac Tuſca ab uno eodemque phaenicio fonte ambae manarunt, atque profluxerunt. Ex quo inter ſe ſimiles, utpote quae uterinae, eademque prognatae matre; Etruſci certe orientales populi fuerunt, quod jamdiu oſtenderunt viri docti;

quamvis ab iis diſſentiatur magnus Bochartus, qui facile concedit Phaenicios fuiſſe Italicarum regionum peritiſſimos, a quibus res Italicas divinus Homerus didicerit, ab ipſis tamen Italiae populos originem repetere negat; contrariamque ſententiam pro aris, atque focis tuetur. At ejus argumenta, quum parvi ponderis ſint, nullum nobis negotium faceſſunt. Quum enim quaedam earundem rerum diverſa Tuſca, ac Phaenicia vocabula collegiſſet; maximum id argumentum arbitratus eſt, quo Etruſcae linguae nihil cum Phaenicia commune eſſe conficeret. Ipſum non recte loqui exiſtimabit, quemcunque non lateat, unam, eamdemque rem plura apud unamquamque gentem, diverſaque nomina ſemper habuiſſe. Ad hunc vero modum ratiocinatus eſſe videtur. Deus Poenis erat Alon, & Dii Alonim, Tuſcis vero Deus erat AEſar ex Suetonio in Auguſto: *AEſar Etruſca lingua Deus vocatur* (huic adde reliqua, quae profert, exempla); hinc, concludit, nihil commune habet Etruſca lingua cum phaenicia. An fortaſſe Bochartum fugit veteres; praeſertim orientales variis nominibus Numina ſalutare in more,

re, pretioque habuiſſe; Deorum id laudi, honorique ducentes; quod multis viri in hoc literarum genere docti oſtenderunt? Sique Bochartum exemplis vernaculis, deque medio petitis refellere lubeat, ſanine, rectique judicj illum dijudicabimus, qui ita ridiculo, falſoque modo concluderet: quem Deum dixerunt Latini, eumdem Itali *Creatore*; nihil itaque affinitatis inter Italam linguam, & Latinam? Praeterea AEſar commode ex Haebraeo deduci poteſt, in qua Dominus ejus notio; quod ſolemne Dei nomen eſt. At nos data opera etyma, verborumque originationes cudere devitamus: cum praeclariſſimum ceteroquin ſtudium nimium exoſum eorum cauſa evaſerit, qui illo ubutuntur: ex quorum numero Jo. ille fuit; qui cum penitus neſciret hebraice, Graeceque; ſemidoctis, immo ignariſſimis imponere voluit; ſe in Hebraicis primum ſubſellium obtinere; Bochartique gloriam tenebris obduxiſſe: ελληνιζοντων vero eſſe Archonta; quum jure, meritoque παντων των ονων, quotquot ſunt; aut fuerunt, princeps, ac primipilus ab iis exiſtimetur, qui naſum Rhinocerotis habent. Sed tanti non eſt, quod contra orientalem Etruſcae

lin-

linguae originem Bochartus vir ſummus adfert; ut longius refelli mereatur. Ceterum hanc provinciam ex propoſito ſibi ſuſceperunt eruditi viri, ut Tuſcos, Tuſcamque linguam a Phaenicia originem repetere ſuam probarent: nos vero ne actum agamus; hac de re ſuperſedemus. Nec ſecus ac Etruſcos, Latinos quoque orientales populos ſuiſſe compertum habemus. Aborigines namque, qui antiquiſſimi Latij habitatores feruntur, ac primi gentis, regionumque *πρωτογονοι*, ac *γεναρχαι* ſunt habiti, non alii ſunt, quam Hebraei illi qui celeberrima illa diſperſione in quaſque terrarum regiones appulerunt, omnemque orbem incolis ditarunt. Quod ab amico omni præconio majori Joſepho Glinnio indicibili illa ſua eruditionis copia oſtenſum; ac præter cetera ex ipſo nomine, quod ipſe Phaenicium ſtatuit, comprobatum erit in opere de nominis mutatione, uti nobis pro ſingulari ſua humanitate, amicitiaque aperuit.

Quum igitur e Phaenicio fonte Etruſcus, ac Latinus ſermo manarit, ab his vero Romanus; ſequitur inde Romanae linguae

originem non ad Graecam, ſed ad Hebraicam primam mundi linguam, omniumque matrem referendam eſſe. Quamobrem ad Paeniciam retulerunt originem quamplurimas Romanas voces; quae Faunos, Aborigineſque adhuc ſpirant, docti viri Scaliger, Voſſius; aliique. In ſemitam modo e longiori fortaſſe orbita orationem reducamus. Omnis diſputationis ſcopus, atque finis, ſi non fallimur, is fuit; ut intelligeretur, quam diverſa priſca illa Romanorum lingua, quae Tuſcae, Phaeniciaeque proxima, a recentiori fuerit; ex quo colligi poſſit, quod principio aſſeruimus, leges iſtas, quae Regiae ſalutantur, poſteriori exaratas aetate. Quod, ſi nobiſmetipſis aequo amiciores non ſumus, jam luce meridiana clarius eluceſcit. Quid igitur? nihilne e Regiis legibus jam reliquum eſt? Suntne leges iſtae, quae ſub Regum nomine feruntur, omnino confictae? Opinio mea, vel ſi mavis Divinationem dicas, haec eſt: legum harum, quae ſub Regum nomine feruntur, ſententiam ſolum a *νεωτέροις* iis verbis, quae tunc temporis in legibus condendis erant uſitata, fuiſſe expreſſam, non ſecus ac eruditi viri quum

apud Plutarchum, Dionem, alioſque quamplurima Regum Numae, S.Tullj inſtituta legiſſent, ea verbis vetuſtioribus, ac illis, quae legum propria ob antiquitatis auctoritatem Tullius vocat, exhibuerunt. Et ſane quum e Feſto jam conjecerit vir ſummus permultas Regias leges in XII. Tab. a Decemviris fuiſſe conlatas, non aliter id factum opinandum eſt, quam Regiarum legum ſententia, ſcripto uſitatis verbis tradita, nitidiorique lingua exhibita. Nec aliter de quibuſdam Latinorum legibus, quae nobis in tanta antiquitatis obſcuritate innotuerunt, pronunciandum eſt. Sententiam enim eo ſtilo, quo culti recentioris ſeculi Romani conſcribebant, poſteris demandarunt. Ex harum numero illa Laurentum lex eſt, quam Feſtus in voce *armata* exhibet: *Ne pomum ex alieno legatur in armum.* Atque altera illa, quae a Varrone in Sacris Tuſculanis recenſetur. *In Tuſculaneis ſacreis eſt. Vinum novum ne vehatur in urbem antequam vinalia Kalentur.* An ita eleganter, nitideque, ut non elegantius, nitidiuſque Tullius, leges ſuas deſcripſerunt priſcae illae, rudeſque gentes? haud crediderit, cui melioris eruditionis lux effulſerit: verum in meam deſcen-

ſcendet ſententiam; antiquas leges a *νεωτέροις* in uſitatum, cultumque ſtilum fuiſſe verſas.

PARTIS I. CAP. II.

In quo Regiae quaedam leges emendantur, illuſtrantur; deque omni Regia nomethesia judicium profertur.

Quum temporis injuria, univerſalique literarum clade; infauſtiſſimaque jactura paucae e Regiis legibus evaſerint, de tota, univerſaque ejus temporis legumlatione abſolutiſſimum judicium proferri nequit. Quae tamen remanent, ſummam ſapientiae, juſtitiaeque praeſeſerunt imaginem. Paucas ex illis hac in diſſertatione complectemur, quarum verba utcumque corrupta, ac manca a veteribus accepta emendabimus; in priſtinam lectionem reſtituemus, brevique commentario illuſtrabimus. Duas ad ſacra pertinentes; aliam ad parentum venerationem, mulierumque ſobrietatem afferemus, ut ex hiſce, veluti ex ungue leonem, univerſam Regiarum legum nomotheſiam dignoſcamus. Religionis enim

cul-

cultu, parentum veneratione, temperantiaque omnis continetur civitatis diſciplina; atque hiſce ex tribus omnis habetur recta inſtitutio: illum enim, qui pietate, juſtis precibus, morumque ſanctitate Deorum mentes placari; non contaminata ſuperſtitione, non ſacrificiorum copia, luxuque, nec caeſis hoſtiis, ut inquit Tullius, exiſtimet; a quo patrium imperium, atque majeſtas veluti numen, & parentes veluti Deorum Imagines, atque ſimulcra divino coluntur honore; civem optimum eſſe fatemur: eum quippe Magiſtratuum, legumque juſſis; humanis, Diviniſque legibus obtemperantem habebimus. Omnem porro optimam mulierum diſciplinam, inſtitutionemque in ſobrietate repoſitam, Romulus exiſtimavit. Sobrietas enim bonorum morum, atque caſtitatis fons, ac cuſtos eſt. Quamombrem temetum, vinum nempe bibere capitale mulieribus eſſe ſtatuit. Verum jam ipſas in medium leges proferamus.

Prima Numae lex de Sacrificiis e Feſto, atque Plinio colligitur. Plinius l. XXXII. inquit, *Numa conſtituit, ut piſcis, qui ſquamoſei non eſſent, ne pollucerent, parſimonia commentus, ut convivia*

publi-

Digitized by Google

publica, & privata, coenaeque ad pulvinaria facilius compararentur, ne qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent, eaque praemercarentur. Haec ſunt Plinii verba, prout apud optimam Arduini editionem leguntur. Feſti vero verba aliter atque aliter a criticis emendata, in hunc modum a nobis reſtituta, ſuppletaque accipe. *Pollucere merces eſt libamenta ex mercibus cuipiam Deo porrigere. Mercurio, Jovei Dapali, cujus Cato meminit Dapem polluceri, Herculi omnia eſculenta, & poculenta polluceri licet, cujuſmodi ſunt far, polenta, vinum, panis fermentatus, ficus paſſa, ſuilla, bubula agnina, caſei, ovilla, alica, ſeſama, & oleum, Piſces, quibus eſt ſquama, praeter ſcaurum omneis polluceri Numa juſſit.* Legis vero verba haec fortaſſe fuiſſe, quis tum ex adlatis Plinii, Feſtique verbis, tum ex alio Plinii loco arguat. *Deivos fruge colunto, farreque toſto Deis ſupplicanto. Herculei, Mercuriove, ac Jovei Dapali eſculenta; ac poculenta omnia pollucento. Piſceis, queis ſquama eſt, omneis praeter Scaurum pollucere fas eſto.* Primum legis membrum illos fugiſſe, qui in haſce leges commentaria ediderunt, non parum miramur. Alter Plinii locus eſt l. XVIII.

 c. II.

c. II. ubi refert Numam *Deos inſtituiſſe fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare, & ut auctor eſt Emina, far torrere, quoniam toſtum cibo* (Pro *cibo* legendum omnino *crudo*, quod certe mirum ab Arduino; aliiſque minime fuiſſe animadverſum) *ſalubrius eſſet. Id uno modo conſecutum ſtatuendo non eſſe purum ad rem divinam niſi toſtum*. Singulatim nunc ipſa exponamus legis verba. Atque primum *pollucere Herculi*. Ex mercibus libamenta porrigere explicat Varro lib. V. l. l. Sunt ejus verba. *Hinc fana nominata, quod Pontifices in ſacrando fati ſunt finem. Hinc profanum eſt, quod ante fanum, ideſt conjunctum fano. Atque inde Decuma Herculi data ab eo eſt, quod ſacrificio quodam fanatur, id eſt, ut fani lege ſit, id dicitur. Pollutum quod a porriciendo eſt fictum. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta ſunt Herculi in ara, tum pollutum eſt, ut cum profanum dicitur, id eſt proinde, ut ſit fani factum. Itaque ubi olim fano conſumebatur omne, quod profanum, ut etiam fit: quod Praetor Urbanus quotanneis facit, cum Herculi immolat publice juvencum*. Quae Varronis verba aliqua indigent emendatione: & ſane mirum, ad

ad hunc locum nihil adnotaſſe Scaligerum, & alios, qui Varronem ſibi e mendis expurgandum ſumpſere. Pro *Herculi decuma data* mecum quiſque conjurabit legendum *Herculi decuma profanata*; quam ex eo eſſe dicit, quod ſacrificio quodam fanetur. Quodnam vero fuerit ſacrificii nomen, ſequentibus verbis declarat, quæ male interpuncta jacent: quod enim στιγμα præcedit *pollutum*, omnino delendum, ac ponendum ante *id*. Ex poſtremis verſibus expungenda videtur particula *ubi*: quæ quum facies omnia; tum locus ſibi totus quodammodo conſtabit. Decima itaque Herculi profanabatur. Sic apud Macrobium l.III. Saturn. c. VI. Juvenis ille, cui mercatura bene ceſſerat, *Decimam Herculi profanavit*. Hujus ritus, quo Herculi decima profanabatur, originem Aur. Victor c. VI. de Orig. Rom. tradit. *Tum*, inquit, *Recaranus*, (uti quidem Hercules dicebatur, antequam nomen mutaret) *Sub Aventino Patri aram dedicavit, appellavitque maximam; & apud eam decimam ſui pecoris profanavit. Cumque ante moris eſſet, uti homines Decimam fructuum Regibus ſuis praeſtarent, aequius*

 ſibi

ſibi ait videri Deos potius illo honore impartiendos eſſe, quam Reges. Inde videlicet tractum, ut Herculi Decimam profanari mos eſſet, ſecundum quod Plautus in partem inquit Herculaneam id eſt decimam. Quod igitur Jovi patri ſui pecoris decimam Hercules profanavit; inde tractum vult Victor morem Herculi decimam profanandi. Sed an haec vera hujus ritus origo fuerit, heic non quaerimus. Quod ad Victoris locum attinet, Plautum Herculeae Decimae meminiſſe, niſi in Truculento, non recordor. Sed ut ad legem redeamus: ea ut eſculenta, ac poculenta omnia Jovei Dapali, Mercurio, & Herculi pollucerentur, ſancitum eſt. Jovei Dapali, teſte Catone in de *re ruſtica*, vini culigna pollucebatur. Verum Herculi potiſſimum eſculenta, & poculenta omnia pollucebantur. Hercules namque edax, ac bibax Deus fuiſſe perhibetur. Macrob. Satur. l. V. c. XXI. Herculem *Pictores veteres non ſine cauſa cum poculo fecerunt, & nonnumquam caſabundum, & ebrium. Non ſolum, quod is heros bibax fuiſſe perhibetur.* Ebrii caſabundi a veteribus dicti ſunt; quod huc, atque illuc deambulantes

tes caderent. Varro l. VI. l. l. *Apud Naevium Riſi mecum egomet caſabundum ire Ebrium. Caſabundum a cadendo.* Hinc idem Macrobius Sat. l. V. inquit: *Ad diem duodecimam Kalendas Januarias Herculi, & Cereri faciunt ſue praegnante, panibus, mulſo.* Cujus ſacrificii Feſtus quoque meminit. Deum iſtum cum AEdituo ſuo ludentem, adjecta conditione, ut victus coena, ſcortoque multaretur, veteres fecerunt, ut e 1. Satur. lib. c. X. habemus. Verum de Hercule Devoratore non pauca a Salmaſio aeternae lectionis viro in opere de conſecratione Agri Erodiani diſputata legito, ſi e re tua putabis. Non difficile tamen intellectu eſt, cur Deum iſtum edacem veteres effinxerint: Heroes namque, qui robur corporis, vireſque maxime conſectantur, cibi in primis, potuſque abundantia egent. Quamombrem & lautiſſimas menſas vino, carnibuſque refertas abundanteſque Heroibus ſuis apponit Homerus. In voraciſſimi vero Dei honorem Epulae inſtitutae, quae frequenter celebrabantur. Lib. III. Sat. c. XII. Macrobius noſter ait: *Teſtatur etiam Varro in ea Satyra, quae inſcri-*

 bitur

bitur περι κεραυνȢ majores ſolitos decimam Herculi vovere, nec decem dies intermittere, quin pollucerent, ac populum aſymbolon cum corona laurea demitterent cubitum. Animum huic rei adverte, quod populus ſymbolam pro capite non conferebat: in publica namque convivia, quae apud Graecos erant frequentiſſima, populus univerſus conveniebat, & ſymbolam quiſque pro capite conferebat. Sic Spartanis erant in more Phiditia, ob id a Legislatore inſtituta, ut mutuum civium amorem conſervaret, augeretque. E Creta vero Spartam contulit Lycurgus: apud Cretenſes namque Andria adpellabantur, quae Minos ille ΜεγαλȢ Διος οαριστης inſtituit; ut Ariſtoteles in politicis memoriae prodidit: civitatem enim tum recte ſe habere arbitratus; quum omnium ipſius ordinum conſpiratio ac conſenſus unus eſt. Atque in iſta publicorum conviviorum inſtitutione Homerum Lycurgo praeluſiſſe Dio Chryſoſtomus ſcribit. De hiſce vero nos multa in Homerica Themide diſſeremus: ubi morem iſtum publicorum conviviorum ad Criſtianos demum pertranſiſſe docebimus: nam quis adeo ſacris in rebus parum verſatus, qui ne-

neſciat veteres Chriſtianos mutui amoris tuendi cauſa ex Apoſtolica inſtitutione Agapas in ſuorum Martyrum honorem concelebraſſe? Heic vero cur tot Gentilium ritus in Eccleſiam Patres invexerint, cauſam inveſtigare difficile minime erit. Quum enim gentiles ab ſuo cultu, omnibuſque religionis ritibus, receptiſque moribus penitus avertere arduum foret; hinc Patres, quae eorum prudentia erat, gentilium ritus in ſacros uſus converterunt; ut harum caerimoniarum ſpecie, adſpectuque eos ad ſe facilius traherent allicerentque. Sed ad Herculis polluctum revertamur. Polluctum a porriciendo Varro deducit. Porricere vero eſt Diis libare Virg. l. V. AEn. *extaque ſalſos Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam*. At ſi de hujus ῥήσεως notione multa deſideres, eruditi viri adnotationem in hunc Poetæ locum conſulas. Nihil jam reliquum eſt; quod in legis verbis explicationem requirat. Aggrediamur itaque ipſam legis ſententiam, quam pluribus illuſtrabimus.

Eſculenta, & poculenta omnia polluceri lex juſſit: parvi enim pretii haec ſunt, quae & pauperes, non ſolum divites offerre poſſunt.

Summa enimvero ſapientia e Deorum cultu ſumtum removit omnem legislator, luxumque reſecavit. Non ſane probandum quod Heſiodus praecepit:

Κατα δυναμιν δ' ερδειν ιερ' αθανατοισι θεοισι.

Pro facultate autem ſacra facito immortalibus Diis. Quem Heſiodi verſum Socrates ſapientum ille Deus profert apud Xenophontem mem. I. Quo in loco non magnis muneribus e divitum faſtu oblatis, verum parvo munuſculo, quod Deorum aris vir bonus intulerit, Numinum favorem conciliari indicibili illa eloquentiae vi adſerit. Atque hiſce ſimilia apud Platonem in Republica habes.

Hinc legislatores omnes, quicumque ſapientiae famam tenuerunt, inani huic ſacrificiorum redundantiae, quae pecuniarum copiam, non morum probitatem oſtendit, legibus modum poſuerut. Triptolemus vetuſtiſſimus Athenarum Nomotheta θεους καρποις αγαλλειν ſtatuit: cujus legis Hieronymus, atque Porphyrius meminerunt; ipſamque erudito, fuſoque commentario mactant, qui Atticas leges illuſtrarunt. Plato quoque mortalium ſapientiſſimus in

XII.

XII. legum Dial. haec ſancit. *Donaria Diis moderata a moderatis hominibus offerantor*, & reliqua; quae in II. de ll. belle Tullius interpretatus eſt, qui ad Platonis, ad cujus exemplar ſe perfectiſſime compoſuit atque expreſſit, imitationem, de ſacrificiorum parſimonia legem rogavit: *Ad Divos adeunto caſte, pietatem adhibento, opes amovento.* Quam quidem legem ita inferius ipſe explicat. *Quod autem pietatem adhiberi, opes amoveri jubet, ſignificat probitatem gratam eſſe Deo, ſumtum eſſe removendum. Quid eſt enim, cum paupertatem divitiis etiam inter homines eſſe aequalem velimus, cur eam, ſumtu ad ſacra adhibito, a Deorum aditu arceamus?* Hinc Romani veteres pro Numae inſtituto parſimoniam in ſacrificando optime ſervarunt. Servius ad illud VIII. AEn. *Pauperque Senatus Thura dabant*, ait: *& libri veterum tradunt a majoribus ſacrificando parcimoniam obſervatam eſſe.* Adeo perſpectum ipſis quoque Gentilibus Deos non hoſtiarum nidore, juxta Homerum, ſed parvo munere a bono viro oblato gaudere.

Nec quae de parva pauper libat acerra

Digitized by Google

Thura minus, grandi quam data lance valent.

Eleganter cecinit Ovidius El.VIII.lib.IV. Quae quum prae oculis haberent Decemviri, e re quoque funeraria ſumtum omnem, luxumque removerunt: inquit enim Ovid.

Parva petunt manes, pietas pro divite grata eſt
Munere, non avidos Styx habet una Deos.

Sanxerunt itaque Decemviri: *Sumtus, ac luctum a Deorum manium jure removeto.* Hanc nobis uti Decemviralem legem e veteribus ſiſtunt eruditi; tamen nemo non videt verba Decemvirorum minime eſſe, quamvis eorum legis ſententia ſit. Hanc vere Decemviralem legem de ſumtu minuendo a Tullj II. l. de ll. habemus. *Hoc plus ne facito: Rogum aſcia ne polito.* Quod mancum certe, ac mutilum legis membrum eſt. Illud *hoc plus* ex ſuo loco multi interpretes dimovent, & poſt alias leges collocant. Quibus nos minime ſubſcribimus, qui legem omnem ita reſtituendam cenſemus: *ſepulcrum ne operoſius facito, quam quod decem homines effinxerint triduo. Rogum aſcia ne polito.* Huic noſtrae ariolationi praebuit occaſionem Solonis lex, quam in ſuas tranſtulerunt Tabulas, ut vero-

veroſimile eſt, Decemviri, cujus verba in II. leg. lib. Tullius ita refert: *Ne quis ſepulcrum facito operoſius, quam quod decem homines effinxerint triduo, neque id opere textorio exornato, neque hermas imponito*. Nempe opere textorio apud Graecos ſepulcra pro more illo exornabantur, qui ab heroicis uſque temporibus obtinuit. Sic apud Homerum Penelope, ut petulantes procorum eflagitationes eludat, ab illis petit, ut ipſam innuptam eſſe ſinant,

—————— εισοκε φαρος
Εκτελεσω, μη μοι μεταμωλια νηματ' ολειται
Λαερτη ηρωι ταφηιον ——

—————— *Donec textum*
Perfecero, ne mihi vana fila pereant
Laerti Heroi ſepulcrale Tegumen ——

Legem itaque ex Attica nativa pulcritudine exornatam Romam revocavimus. Athenis vero permulta de luxus temperantia in funerum re erant legibus ſtatuta: ut ne ſuper terrae tumulum ſtatueretur, niſi columella tribus cubitis non altior, ſtatuit Demetrius ille, qui multas tulit leges de luctu minuendo teſte Cicer. de ll.: mos enim antiquiſſimus

Graecorum fuit, ut columnae, atque cippi ſepulcris imponerentur: quod ex multis Homeri verſibus apparet, & ex Il. praeſertim XI.

Στηλη κεκλιμενος ανδροκμητω επι τυμβω
Ιλου Δαρδανιδαο.

At Jolaus στηλην in Homero haud columnam vertendam eſſe pro aris atque focis contendit, quum Homericis beatiſſimis temporibus in lucem columnas nondum prodiiſſe jactet. Verum quicquid ipſe faediſſime ſcribit, & contra omnem antiquitatis fidem effutit atque argutatur, haud ullam meretur confutationem: adeo ſunt inſulſa, ac inepta omnia e cerebro non prorſus ſano, indoctiſſimoque homine conficta. At, ut ad Funerarias leges revertamur, Plato quoque ſepulcrum altius extolli vetat, quam quod capiat laudem mortui inciſam quatuor Heroicis verſibus. Ex Ellade Latium ad ſe nos revocat. Non ſane ſpernendam Decemviralis legis emendationem protulimus, quae ſi cuipiam forte minime arriſerit; is & me auctore legat illud *hoc plus: ſumtuoſum opus ne facito*. Utramque enim conjecturam veroſimilem putamus. Sed ad alias Decemv. ſumtuarias de funeribus leges gra-

gradum faciamus. Quum nimium tum veſtium, quae ſepulcro inferrentur, tum funebris pompae faſtus luxuſque increbuiſſet; hanc Decemviri legem tulerunt; quam ita reconcinnatam exhibuit eruditus Juriſc. Paulus Merula: *Endo fonere tribus riciniis, rica porporea, decemque Tibicinibos utier liceto.* Quae ad hanc legem docti viri commentati ſint, legat qui e re ſua putabit. Nos crabem minime recoquimus. In eo parumper immorabimur, quod non nimis ab harum legum interpretibus tritum argumentum eſt; & aliqua luce a nobis ſuffundetur. Quum Tibicinum mentio in lege ſit; qua harmonia in funebri Pompa veteres ſint uſi, perveſtigare haud inſuavis, nec fortaſſis inutilis quaeſtio erit. Kirchmannus diligens hercle Funerariarum Antiquitatum collector Lydiam harmoniam in Funeribus uſurpatam multis veterum auctoritatibus probat: Lydia namque ſtridula atque acuta, luctui lamentationibuſque maxime adcomodata habebatur. Quum vero multas idem veterum auctoritates collegiſſet, quae gravem lugubrem ſonum fuiſſe evincunt, ac certe ſtatuunt; contrarios diſſidenteſque hac in re auctores

res exiſtimat. Qua enim ratione gravi natura remiſſo, acutoque elato atque intenſo modis inter ſe adeo contrariis, ad luctum, teneroſque commovendos excitandoſque adfectus veteres uti poterant? Praeterea Phrygia harmonia & ipſa acuta in funere veteribus uſurpata. Quae Phrygia adeo luctuoſa exiſtimata eſt; ut naeniae ſive funebres cantiones Phrygum inventioni tribuerentur: eiſdemque funebris tibiae inventio adſcribitur a Polluce, atque Statio.

At eadem Phrygia, quae acuta & ſtridula; ut Αυλω Μυγδονιω λιγυν ηχον *Tibiae Mygdoniae Stridulum ſonum* Moſchus Id. II. dicat; laeta quoque atque hilaris erat. Cur itaque in ploratibus illam, ut miſerabiles affectus commoverent, veteres adhibuerunt? Kirchmannus nodum hunc ſolvere non potuit. Atque eruditi quique Muſurgi hac in re ſe implicatos ingenue fatentur. Res nobis paulo altius repetenda erit.

Utque breviter rem omnem perſtringam, tres praecipue harmoniae ſive modi, ad quos ceteri omnes referuntur, a veteribus recenſentur. Quarum prima Doria harmonia eſt, cujus a Platone laudes

des in Republica dicuntur, atque a Zarlinò quarto Armon. Inſt. lib., quam vere harmoniam graecam in Lachete ipſe Plato adpellat. Gravis iſta, ſobria, ad virtutem, atque temperantiam, fortitudinemque animos erigens, quam Heſyſtaticam, quae perturbatos affectus ſedaret, veteres Graeci dixerunt. Hic vero modus ſi concitatior atque intenſior, Hyperdorius dicitur. Qua de re Dionem Chryſoſtomum Zarlinus redarguat, quod ſcripſerit Timotheum ad arma Alexandrum Magnum Dorio modo concitaſſe, non prorſus teneo. Quid mirum? Si modus ille temperatus eſt ſobrius; at concitatior bellicoſus. Doriam Phrygia excipiebat, quam Lydia tono major ſequebatur. Omnium vero acutiſſima Myxolydia, cui Hypermyxolydiam quidam ſuperaddunt. Dorius modus paulo remiſſus Hypodorius dicitur; qui gravis, & mollis & lugubris. Hanc harmoniam, utpote quae torporem induceret, Platonici rejeciſſe videntur, ſenibus non denegavit Ariſtoteles. Ipſos enim remiſſius ab aetatem occinere neceſſe eſt; hinc Tullius in primo de Oratore. *Solet idem Roſcius dicere ſe quo plus ætatis ſibi accederet, eo tardiores tibicinis*

mo-

modos, & cantus remiſſiores eſſe facturum. Phrygia autem harmonia natura laeta, viva, & audax, bellicoſis rebus aptiſſima, ſi remittatur, Hypophrygia dicitur, & mollis; atque effoeminata, fletui inſuper apta. Quae ſi intendatur, Hyperphrygia eſt, & voluptuoſa molliſque. Lydia acuta, laeta, & voluptuoſa eſt: Mixolydia acutiſſima omnium, quae ſpiſſis, concitatis tumultuariiſque motibus in furorem animum adigit, & diſcindit, doloremque, qui querulus & acutus eſt, progignit. Eadem vero Lydia remiſſa Hypolydia ſalutatur, mollis flebilis, Veneri atque Baccho inſerviens, temulenta. Mollem illam ebriorum, non quum furunt, verum quum langueſcunt, temulentiam intelligo. Ex hiſce abunde patet id, cujus gratia omnis iſta quaeſtio ſuſcepta eſt, cur & gravis tonus, & Lydia, Phrygia, ac Doria harmonia in funeribus uſurpatae. Difficultates itaque omnes diluimus, in quibus haeſerunt Muſurgorum ſummi, quod iiſdem modis diverſi contrariique adſignarentur affectus. Mollis idem, & furioſus, triſtis, ac voluptuoſus ex intentione, aut remiſſione eſt. Atque ingenioſiſſimus Kircherus in magno Muſurgiae opere adeo involutam obſcuritate hanc modorum do-

doctrinam putavit, ut in dubio prorſus eſſe dicat, quoſnam affectus quique modi inducerent. At iſta modorum confuſio e multiplici pendet ratione, ac primum ex eo, quod temporis progreſſu muſica ab heroica illa degeneravit, atque adulterata fuit! auctores vero tum veteres tum recentiores vetuſtiſſimam illam muſicam cum νεωτερικῃ metiuntur; vetereſque ſimplices illos modos a recentioribus haud ſeparant ac diſtinguut: tum vero ex eo quod in diverſa regionis tempetie diverſos muſica progignit affectus. Eadem praeterea harmonia ex vario hemitonii ſitu, ex varia proceſſionis ratione, ex vario tonorum intervallo, varios diverſoſque commovet affectus, quod Vincentius Galileus, atque Zarlinus ſummi ſubſellii Muſurgi, alter doctus atque eruditus, acutiſſimus alter pluribus docent. Verum haec delibaſſe in praeſentia ſatis ſit, plura, atque meliora fortaſſe in mea Diſſertat. de optima illa Harmonia, quam in divina illa Reipublicae architectura Plato recepit. Lydiam vero Harmoniam a Tuſcis Romanos accepiſſe veroſimile eſt: Tuſci namque a Lydiis originem repetere ſuam crediti. Neque id nobis adverſatur, qui cum doctioribns Tuſcorum originem ad Phæ-

ni-

nices revocavimus: Lydias namque terras Phænices initio tenuerunt, ut vel ex ipſo Phaenicio ejus nominis ethymo, quod Bochartus cuſit, videre eſt. Si vero quis in Bocharti ſententiam tranſeat, qui a Lydiis Tuſcos progenitos omnino pernegat; Lydorum tamen coloniam in Etruriam ſe contuliſſe, dummodo aequus harum rerum aeſtimator ſit, non mihi denegabit, niſi apertiſſimas veterum auctoritates pro nihilo habeat; ex tam multis unam Tertulliani *de ſpectaculis cap.* 5. proferre in animo eſt. Is e veteribus tradit *Lydos ex Aſia tranſvenas in Hetruria conſediſſe ... inde Romani accerſitos artifices mutuant, tempus, enunciationem, ut ludi a Lydis vocarentur*. Id vero extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt muſicam ex Etruſcis, ut initio diximus, ad Romanos profluxiſſe. Siquidem & tibicines, & ludiones ab Etruria Romam venerunt. Ovidius lib. I. *de art. amandi* de captu Sabinarum verba faciens ait:

Dumque rudem praebente modum tibicine Tuſco,
Ludius aequatam ter pede pulſat humum.

Ubi ſive ludius cum doctis viris; ſive ly-

lydius legas, idem eſt; Ludios enim Lydios quoque Romani dixerunt, ut Nonius Marcellus habet. Livium etiam lib. VII. cap.II. teſtem habeo: *Ludiones*, inquit, *ex Hetruria acciti ad Tibicinis modos ſaltantes haud indecoros motus more Tuſco dabant*. Ne longius in hoc παρέργῳ immoremur, ceteras ſumptuarias leges, quas pro virili illuſtrandas ſuſcepimus, proferamus. Sequitur lex illa, quae multa capita complexa eſt. Cujus verba, ut e Tullio colligere potuimus, hiſce ſimilia fuerunt. *Servilis pollinctura, omniſque circumpotatio abeſto. Nec ſumtuoſa reſperſio fuat, longae Koronae nec ſepolcris Endoponantor. Acerrae nei præferantor*. In Tullii textu in II. de ll. pro *prætereantur* legimus cum Manutio *præferantor*. Ac *pollincturam* pro *unctura* cum doctis viris accipere maluimus. Acerræ vero, quæ heic in lege memorantur, multum Interpretes exercuere; qui quum veterum Grammaticorum hac in re non convenientium auctoritate utantur; nihil certi proferunt. Et Feſtus quidem aram interpretatur, qua thus adolebatur, vel Thuribulum, quod Acron quoque ad Horatium tenet. Cornutus ve-

ro ad Perſium pateram Acerram eſſe docet. Quo ſenſu uſurpaſſe videtur Perſius S. II. in illo.

At bona pars procerum tacita libabit acerra.

Attamen Thuribulum, quod odoris cauſſa mortuis anteferebatur, plerique hac in lege verbum iſtud interpretantur. Verum mirum non eſt, ſi tantis tenebris verbum iſtud obvolvatur; quum nemo ſit, qui ignoret, quot in hiſce legibus verba adeo obſcura occurrant, ut Apollinem deſiderent interpretem. In noſtra tamen lege pro *Acerræ* *Arcerae* potius legendum quis fortaſſe opinetur.

Non certam quidem indubitatamque, a qua nulli reclamare, ac diſſentire liceat, hanc lectionem quis habuerit; probabilem tamen ac veroſimilem habiturum non dubito. Arceram vero currum, lecticamque fuiſſe e veteribus Grammaticis accipimus. Hinc apud Nonium c.II.ex Gerontidaſcalo Varronis: *vehebatur cum uxore vehiculo ſemel, aut bis anno, cum arceram, ſi non vellet, non ſterneret*. Corrupto Varronis fragmento Gothofredus Juriſconſ.eruditiſſimus medicam manum adhibuit. At verba haud reſtituit, ſed de novo confinxit: *Vehebatur cum actore vehiculo ſenex, aut*

aut annoſus, cui arceram, ſi non vellet, non ſterneret. Nec de Varrone Gothofredo alius benemerentior. Ejus verba, ne alienis opinionibus paginas impleamus, prout Nonius fortaſſis ſcripta reliquit, a nobis, veterum amans lector, accipe: *Vehebatur cum uxore vehiculo ſemel, aut bis anno, cum arceram, ſi valeret, non ſterneret*. Arcera namque commodior lectica ſenum, ægrotorumque propria erat. Cujus rei Gellium dabo teſtem l. XX. c. I. *Arcera vocabatur Plauſtrum tectum undique, & munitum, quaſi arca quædam magna veſtimentis inſtrata, qua nimis ægri, aut ſenes portari cubantes ſolebant*. Sed arceræ notio ex alia Decemvirali lege clarius innoteſcit, quæ iſta erat germane integreque ſcripta. *Endo Jovs vocato ſei morbos, ævitaſve eſcit, quei in jovs vocat, jumentum dato, ſei nolet, arceram ne ſternito*. Arceræ vero, ſive parvæ arcæ illæ quoque fuerunt, quibus nobiliores mortui] vectitati. *Vilem arcam plebejum pheretrum* l. I. Sat. VIII. Horat. nuncupavit. Et de magno Pompejo Lucanus l. VIII.

> *Da vilem magno plebei funeris arcam,*
> *Quæ lacerum corpus ſiccos effundat in ignes.*

Verum de hiſce lecticis, quæ in arcæ formam erant confictæ, multa habebis a Kirchmanno *de Funeribus*. Ego ſane ex diſputatis duas haſce voces *arcera*, & *acerra* tum origine, tum notione ſimiles eſſe opinor. Arceras ita nuncupatas, quaſi parvae eſſent arcae, nemo ſane dubitabit. Atque Acerras quoque ab *arca* dictas Varro docet IV. lat. ling. lib. Praeterea ſicut *arcerae* lecticae erant in arcae formam compactae, ut ex multis veterum auctoritatibus compertum eſt; ita *Acerras* arculas Grammatici interpretantur, in quibus Thus adſervabatur, ut diximus. Sunt igitur hae duæ voces tum origine, tum notione ſimiles. Vel itaque in Decemvirali lege *Arceras* legas; vel, ſi mavis, *acerras* retineto, quas ſi mortuarias lecticas interpretaberis, a veritate non longe aberrabis, ut legis ſenſus fuerit, plures lecticas luxus causa mortuis non eſſe praeferendas. Omne Tullius removet dubium, quo quis hærere poſſit; ac prohibet alia, quam pheretra, ac mortuarias lecticas, in lege agnoſcere. Poſt legis enim recitationem, rationem reddit, cur lex rogata eſſet. *Credoque*, inquit, *quod erat factitatum, ut uni plura Pheretra inferrentur, lectique plures ſterne-*

ren-

rentur, *id quoque ne fieret lege ſanctum eſt*. Ex hiſce aliiſque quanta Decemvirorum cura fuerit in luxu ſumtuque in re funeraria coercendo, luculentiſſime dignoſcitur. Numaeque pariter ſapientia eluceſcit, qui e ſacris & ipſe ſumtum removit; quique longe ante Decemviros leges de ſumtu in funere moderando ſanxerat. E quibus unam nobis veteres conſervarunt; quamque nos huc contulimus; quoniam ea ſuperioribus reſpondet, ac ejuſdem generis eſt. Illam hiſce verbis refert Plinius lib. XIV. *Numae Regis Poſthumia lex eſt*. Vino Rogum ne reſpergito, *quod ſubjunxiſſe illum propter inopiam rei, nemo dubitat*. Poſthumiam hanc legem dictam puta, quod ad honores pertineret, qui homini poſt humationem tribuebantur. De hac vero lege, id ſi tibi utile duxeris, virum eruditiſſimum in conjectaneis ad Varronem, atque ad illud Catulli *ut lex Poſtumia jubet magiſtra* conſulito, ubi congerit παλαια και πολλα: negatque ipſam πολιτικην fuiſſe legem, συμποτικην dicens. Dicterium aliquod voluptuariorum gratia a Numa confictum exiſtimat; quod Lipſius quoque antiq. lect. III. tenet. Hujuſmodi dicteriorum exemplum ex Anacreonte adferam in carm. IV. εις εαυτον.

Τι σε δει λιθον μυριζειν;
Τι δε γη χεειν ματαια;
Εμε μαλλον, ως ετι ζω·
μυρισον ———

Integri carminis in ſententiam ſic nos patrio ſermone olim luſimus.

Sul molle mirto ameno
Diſteſo, e ſulle erbette
Del loto tenerette
Io vò di vin ſcaldarmi il petto, e 'l ſeno.
Amor mi ſia Coppiere,
Di bella veſte ornato
Mi rechi deſiato
D' ambroſio vin ſpumante pien becchiere.
Quali veloci ruote
L' età ſi batte l' ali,
Noi miſeri mortali
Poca polve ſarem e forme vuote.
Che giova ſe d' intorno
Mio Rogo unguenti, e roſe
Spargi allor vane coſe,
E verſi vin nel mio fatal ſoggiorno?
Mentre l' aure di vita
Spiro ancor porporine,
Roſe inteſſi al mio crine,
E con ſoavi odor a te m' invita.
Mia bella innamorata

Re-

Mi rendi pur contento;
Pria, che il viver mio ſpento
Con morti inſiem vada a menar ballata.

Fugar io vo la noja,
Vò diſgombrar dal core,
O lieto Dio d' Amore,
Triſta cura, e indi far paga mia ſoja.

Ut ad legem revertamur, quid nos prohibet, quominus eam legem πολιτικην dicamus? An quod veteres legamus contra legis hujus ſanctionem rogum vino reſperſiſſe? At etiam unguentis mortuos illinitos, ſepulcra conſperſa legimus; & alia in funere factitata, quae legibus erant vetita? Prava haec certe ratiocinandi ars eſſet; quia haec facta legimus; ergo non erant vetita. Leges enim paulatim pravo more inducto labant, earumque vis effringitur ac majeſtas ſilet. Superiori ſimilis, vel potius ſuperioris pars eſt alia Numae lex, quam Varro nobis in 4. de l. l. conſervavit: *Murinam mortuo ne indito*. Verum ſatis ſuperque, & plus, quam in animo ſtatueram, de hac praeclariſſima Numae lege dictum eſt. Ad alias nos convertamus.

Legem, quam nunc expromimus, Nu-

mae quoque tributam tot ulceribus afflictam peſſumdatamque cum Feſti verbis, qui in verbo *Opima* eam protulit, multis etiam mendis inquinatis hac ratione emendatam exhibemus. *Ad AEdem Jovis Feretrii non omnia poni teſtimonio eſſe libros Pontificum, in quibus ſit pro primis ſpoliis Bove, pro ſecundis ſolitaurilibus, pro tertiis agno publice ſacra fieri debere: eſſe etiam Pompelli Regis opimorum ſpoliorum legem talem.*

Quojus auſpicio claſſe procincta opeima Spolia capiuntur, ei darier oporteto. Quei prima cepit Jovei Feretrio bovem Caedito: Ipſus habeto AEris CCC. Secunda quei ceperit, ſpolia in Martis uſam endo Campo ſolitaurilia utra voluerit, caedito, ipſus CC. habeto. Tertia ſpolia quei cepit Jano Quirino Agnum marem caedito. Ipſus c. habeat. Hac in lege reſtituenda non parum adjumenti nobis Plutarchus adtulit, qui ejus nobis ſententiam dedit.

Altera vel Romuli, vel Tatii, vel Servii lex eſt (Feſtus enim e legibus Romuli, & Tatii, Serviique indiſtincte eam citat), qua capitalis poena in eos ſancitur, qui parentem violaſſent. Haec ſunt

Feſti verba, e quibus lex colligitur, a nobis ita reſtituta. *Plorare flere nunc ſignificat, & apud antiquos cum propoſitione implorare, i.e. invocare, ac plane inclamare. In Regum Romuli, & Tatii, & Servii Tullii legibus haec eſt: ſei parentem puer verberit, aſt oloe ploraſſit, puer Diveis paremtom ſacer eſtod.* Feſti verbis, ſacem nobis ſummis viris praeferentibus, priſtinam lectionem reddidimus, trajectioneſque reſtituimus: mancum vero mutilumque legis membrum *ſei nurus* audacter, non tamen aliis audaciores, ita refecimus ſupplevimuſque. *Sei nurus temetum biberit, aſt ſocer cognatos ploraſſit, ut oſculum ferrent, acciperentque, aſt oloe adore indicium duit, ſacra Diveis parentom eſto.* Quicumque vel extremis labiis harum literarum primordia delibavit, non nobis erit infenſus, quod fragmentum penitus confinxerimus. Summorum enim virorum exemplum, ac veſtigia ſecuti ſumus: legiſque ſententiam a veteri Rom. Regio jure moreque hauſtam protulimus. *Namque qui de victu, atque cultu pop. Rom. ſcripſerunt, mulieres Romae, atque in Latio aetatem abſtemias egiſſe, hoc eſt vino ſemper, quod temetum priſca lingua appellabatur*

tur, *abſtinuiſſe dicunt*, *inſtitutumque*, *ut cognatis oſculum ferrent reprehendendi cauſa*, *ut. odor indicium faceret*, *ſi vinum bibiſſent*, ait Gellius L. X. C. XXIII. Præterea Dionyſius, aliique hanc legem tuliſſe Romulum tradunt: *Sei vinum biberit domi*, *utei adulteram puniunto*. Ad quam Romuli legem multa habet Imm. Tiraquellus in ſuis legibus Connubialibus omnigena vaſtaque eruditione admirandis. Verum paucas haſce leges obiter illuſtraſſe in praeſentia ſatis ſit. Eas enim una cum Decemviralibus peculiari commentario perſequemur; cum ab aliis ſuſceptis laboribus vacatio otiumque nobis ſuppeterit.

Antequam vero primæ huic parti, in qua de Regiis legibus breviter actum eſt, finem imponamus, operae pretium erit, quiſnam primus Romanorum nomotheta fuerit, inveſtigare. Quamvis initio haec quaeſtio pertractanda fuiſſet; tamen, quod nobis magis commodum fuit, ſectari maluimus. Juvat de Romanae legiſlationis initiis audire Pomponium, qui l. 11. *D. De Orig. Juris* inquit: *Et quidem initio civitatis noſtrae populus ſine certa lege, ſine certo jure agere inſtituit: omniaque manu Regis*

gis gubernabantur : poſtea aucta ad aliquem modum Civitate ipſe Romulus traditur populum in XXX. partes diviſiſſe, & ita leges quaſdam curiatas tulit, tulerunt & ſequentes leges. Crebra heic ab interpretum turba in juriſconſ. Conviciorum tempeſtas jacta. Illum tamquam hiſtoriae ignarum; aut ſaltem obliviosum humaniores notant. Et quiſnam, inquiunt, ante Romulum Romanae urbis imperium ſceptrumque tenuit? Contra ego tantum abeſt, ut Pomponio oſcitantiae notam inuram, ut ſummam potius ejus judicii criticen demirer, qui nullum videtur fabellis jam de Romulo, deque Romanae urbis fundamentis vulgatis, quaeque jamdiu hominum animis inhaeſerunt, fidem adhibuiſſe. Quid enim doctiores magis hodie exploratum habent, quam, quae de Romae origine proferuntur, fabuloſa eſſe, atque inter aniles fictiones amandanda? Quod tot, tamque diſcrepantes diſſidenteſque de Rom. rei origine, quas apud veteres, recentioresque videre licet, certiſſime evincunt. Praeterquamquod omnes illae civitatum origines ac principia, quae ad divinam referuntur inſtitutionem, fabularum figmentis atque involucris tecta atque

que obducta ſunt. Adeo igitur a doctioribus fabellae illae eliminantur, reiciuntur, ablegantur, ut haud Romam a Romulo nomen nactam, ſed a Roma potius Romulum fuiſſe dictum teneant. Mos enim apud antiquos erat, ut ab oppidis non pauci qui imperium tenuerunt, nomen deſumerent: quo de in noſtra Homerica Θεμιδι. Ego tamen Romulum, ſive Romum ex Haebraea radice, רום *excelſum eſſe* factum exiſtimarem: ex eaque ejus nominis interpretatione fabulam fuiſſe confictam, Romulum inter Deos ſublatum. Ex nominis namque interpretatione quamplurima a veteribus ficta hauſtaque fuiſſe in admirando ſuo των Μυθολογικων ſyſtemate, quod utinam cito ſummo literarum bono in lucam proferat! doctiſſimus Joſephus Glinnius Hotomanus commonſtravit: atque ad συστημα iſtud permultas fabulas reduxit revocavitque. Cum igitur Romuli nomen *altum ſublatumque* ſignificet, hinc Romulum a Marte inter Deos ſublatum rudiſſimi illi Romanorum primores fabulati ſunt: vel a Jove potius Martis rogatu evectum, ut *Romanorum Annales* habebant, Apud Varr. VI lat. ling. l. E prim. Annalium Ennj eſt illud martis ad Jovem.

Unus

Digitized by Google

Unus erit, quem tu tolles in Cerula
cœli templa.

Ad Ennj imitationem Martem ita loquentem inducit Ovidius II Faſ.

Unus erit, quem tu tolles in Sidera
cœli,
Tu mihi dixiſti: ſint rata dicta Jovis.

Hinc Romulum inter Deos excelſos ſublatum *Altellum* Romani ſalutarunt. Cujus nominis, ut ethymon cuderent tum veteres Grammatici hac in re ut plurimum inepti, tum recentiores magni nominis critici, ſexcentas effutiverunt ineptias, quibus pagellam implere piget. Cui erit otium, Feſtum, ejuſque commentatores videat. nec *Altellum* ſolum poſt fata Romulum dixerunt; ſed aliis quoque nominibus deſignarunt ex more illo, de quo ſupra; ut qui ex hac vita migrarent, inque Deorum cenſum eſſent relati, alia deſumerent nomina; ut etiam nomine immutati viderentur. Quirinum vero non e Phaenicia, ſed a Grecia deducendum mea ſententia eſt. Phirinus enim, ut vetus ſcriptura eſt, a *κυριος* productus; ac nomine iſto Romulus Dominus vocatus eſt. Sic apnd Haebraeos Moſes, qui proprio nomine Joachim adpellabatur, poſt fata, quum in coelum

eſſet

eſſet ſublatus, ut myſtæ credebant, melchi fuit dictus, ut refert Clemens Alexandrinus Stromatum 1. Melchi vero a מלך *Rex*, *Dominus*, ex qua origine Ammonitarum Idolum Molec. qua de ρησει vide eruditum virum de Diis Syris. Sed diu ſemperque in tanta verſari antiquate, cumque caſcis illis Romanorum primoribus quaſi confabulari atque colloqui non nobis volupe. Quamombrem primaevo rudique ſeculo jam relicto, ad cultiorem aetatem ſtilum orationemque convertamus.

Finis Primae Partis.

PART.

PART. II. CAP. I.

De Decemvirali legum latione.

AD auream tandem divinamque prorſus Decemvirorum nomotheſiam deveniamus. Magnum ſane periculoſumque Oceanum parva ingenii noſtri navicula ingredimur. Fauſta ac felix ales, quo iter inſtituimus, divinitus nos ducat. Orationem itaque de Praeclariſſima Decemvirorum legislatione exordiamur, quam omnium Philoſophorum Bibliothecis Tullius praepoſuit. Et re quidem vera ea verborum elegantia, abſoluta brevitate, indicibili prorſus ſimplicitate publici, privatique juris capita tum circa ſacra, tum circa contractus, atque imperium juriſdictionemque XII. Tabulae expreſſerunt; ut perfectius nihil fieri poſſe nonnulli ſenſerint. Leges vero iſtae quamvis veterum, recentiorumque praeconio concelebratae fuerint, ſuos tamen cenſores habuerunt. Ac e veteribus unus fuit Phavorinus Philoſophus, qui nunnulla in Decemviros apud Gellium diſputat: at ibidem Decemvirorum cauſam tuetur S. Caecilius Juriſconſ. qui Phavorini rationibus

bus

bus bene repoſuiſſe videtur. Quae quum tam ſint notae, quam quae notiſſima; nihil heic nos morantur. Quid in Decemviros recentiores differant, mox recenſebimus. Verum ante omnia quaedam ſunt praemittenda, quae veluti diſputationis praeparatio, armorumque ventilatio erunt. Optimus quiſque legislator duo prae oculis in legibus ferendis habere debet, ut ejuſmodi leges ponat, quae moderatum optimumque regiminis genus ſtatuant ac conſtabiliant; tum ut talem inſtituat diſciplinam educationemque; qua boni moratique informentur cives, juſtique amantes effingantur. Primum itaque videamus, moderatam ne regiminis formam Decemviri ſtatuerint, gentiſque, cui leges dederunt, ingenio conſentaneam. Non aliam Reipublicae formam, quam popularem Democraticamque, qua quiſque civis ſummi imperii parte pollebat, elatae, liberae, militarique Romanorum indoli magis congruam aptioremque fuiſſe nemo ferme eſt, qui neſciat. Quod cum apprime noſſent Decemviri, ac facile popularis Status everſionem, qui quum corruptus, nec integer eſt, infinitis ſubjacet malis atque incommodis, mente revolverent, optimam Rei-

Reipublicae temperationem, mixtumque regiminis genus inſtituerunt. Hinc Ariſtocraticam cum Democratica Reipublicæ forma, populare cum optimatum regimine contemperarunt. Democraticae Reipublicae conſtitutionis apparent ſane veſtigia in IX. Tab., in qua De Privilegiis legimus: ne cuiquam Privilegia conferrentur, in ea ſancitum: praeterea, ne de capite civis Romani niſi per maximum comitiatum decerneretur; ut Quaeſtores Parricidii, qui de Rebus capitalibus quaeſtiones habebant, a populo crearentur. In Tab. XI. ſancitum erat, ut quod poſtremum populus juſſiſſet, id jus ratum eſſet. Ariſtocraticae vero Reipublicae formae in hac XI. Tab. lex illa reliqua tantum eſt, qua cautum, ut ne Patribus cum plebeis jus connubij eſſet. Nec in aliis deſunt, quae optimatum Rempublicam maxime redoleant. Verum Decemviros non nimium libertatis fuiſſe ſtudioſos, nec moderatam conſtituiſſe Rempublicam; ſed Tyrannicam potius optimatum conſtitutionem conſectatos recentiores nonnulli ſenſerunt. Horum lectas aliquot rationes, atque accuſationes in Decemviros excipiemus; iis diluendis, ſi a vero aberrabunt, parati promtique. Age

igitur rationes haſce in medium adducamus. Atque primum, inquiunt, Decemviri Divitum, nobiliumque coetui viam rationemque muniverunt, qua in ſervitutem facile liberos homines de plebe redigerent. Cum enim ſtatuiſſent, ut pro debitis liberi homines mancipio ſervitutique darentur, nobilium tyrannidi aditum aperuerunt. Praeterea quum capitali poena ſatyrarum ſcriptores fuerint proſecuti; quid quaeſo aliud id eſt, quam libertatem undequaque coercere? Capitales leges iſtae, quae in Satyrarum ſcriptores feruntur, nec Monarchico, nec Democratico Reipublicae ſtatui conveniunt, aut ſtare cum illis poſſunt. In Democratico praeſertim ſtatu, in aequali civitatis conſtitutione, mutuaque imperandi vice hujuſmodi ſcriptis incredibile quantum populus delectatur. Ingenti enim cum voluptate cernit ſummos viros ſcriptis laceſſitos, ignominia ludibrioque notatos, quos in communem conditionem dejici: & quorum faſtum, potentiamque deprimi enixe exoptat. At vero cum penes nobiles rerum ſumma manet, & nobilitate opibuſque quiſque conſpicuus parvulus Rex eſt; apud quem ſummi Imperii pars repoſi-

poſita ; hujuſmodi libelli , quos homines plerumque de plebe , quae nobilium dominatui ſubjicitur, in ipſos jaculantur, tamquam laeſae majeſtatis crimina & habentur , & multantur. In Tyrannico imperio, cujus timor, metus, animique dejectio fundamenta , ac veluti fulcimina ſunt ; & in quo vel minima libertatis vox, quae erectam ſublimemque indolem oleat, morte multatur, hujuſmodi ſcripta veluti ſupremi temeritatis auſus , libertatis futuraeque virtutis vindices, nuntiique ultimo plectuntur ſupplicio. In moderato igitur Regni ſtatu hujuſmodi ſcripta tolerantur ; in Democratia vero , ut diximus , gratiſſime excipiuntur, ac publico populi favore, gratioſiſque ſuffragiis extolluntur , acclamantur. Hinc antiqua comoedia apud Græcos, & Satyra apud Romanos ſumma populi voluptate recepta. Hinc etiam Tragoedia a Graecis , ab Athenienſibus praeſertim, magna ingenij vi exculta fuit. Ipſi namque Athenienſes, apud quos Democratica vivendi ratio vigebat, ſummum in eo ſtudium elocarunt, ut in Tragicam ſcenam famigeratiſſimos Reges inducerent Deorum indignatione , malis infortuniiſque perfractos , miſeriis luctuque demiſſos ,

E 2 po-

populari vilique veſte incedentes. Nec ulli hoc Poeſis genus magis gratum quam ipſi Cecropidæ genti fuiſſe in Minoe Plato teſtatur. Immo Athenienſium inventum Tragoediam eſſe in Minoe idem Plato prodit. *Tragoedia vero heic eſt antiquiſſima, nec, ut plerique putant, a Theſpide, aut a Phrynico ſumſit initium. Sed ſi perſcrutari volueris, reperies Tragoediam longe antiquius hujus civitatis inventum. Haec autem ex univerſa Poeſi populum vehementer oblectat, atque allicit auditores, qua nos Minoa ferientes, ulti ſumus.* His accedit & aliud, quo Tyrannici ingenij Decemviri argui dicuntur, quod Talionis jus Diſpotico Regno conſentaneum ac congruum, uti ajunt, ſtatuerint. Decemviralis lex eſt; *Sei queis membrom rupſit, e facto talio eſtod.* Corrupte antea in Gellio legebatur. *Qui membrum rupit e pacto talio eſt.* Nos unius literae mutatione, quod vere emendare eſt, germanam reſtituimus lectionem, cum ita eamdem legem Jacobus Cujacius Jureconſ. Princeps reſtituerit; ut ejus lectionis ne veſtigia quidem in vulgata appareant: adeo de novo illam confinxit. De noſtra vero lectione dubitandum non eſſe opinamur. *Ex facto actio*, quae in Decem-

cemvirali lege memoratur, ea *eſt*, *quoties ex eo teneri quis incipit*, *quod ipſe admiſit*, *veluti furtum*, *vel injuriam commiſit*, *vel damnum*: ut Jureconſ. Ulpianus l. XXIV. D. *De oblig. & act.* Verum hiſce de rebus, quae ad Talionis jus ſpectant, fuſiſſime in noſtra Homerica Θεμιδι diſſeremus. Atque haec, quae nos non adeo exili ſiccoque dicendi genere diſputavimus, aliaque ſimilia in Decemviros notant. Ipſis nunc Romanae legislationis auctoribus nosmetipſos patronos praebebimus, maculaſque omnes, quae illis inuruntur, diluemus. Ut primum igitur ab eo exordiamur, quod ad debitores attinet, qui in ſervitutem redigebantur: id eo conſilio a legislatoribus ſtatutum fuit, ut ſervitutis timore, quae Romano homini morte deterior videbatur, a debitis contrahendis quiſque deterreretur. Quivis itaque, cui animus vere Romanus contigerat, ne nexui atque mancipio ob inopiam daretur, aere alieno ſe obruere morte pejus formidabat. Qui vero vitae commoda luxumque pluris quam libertatem faciebat; Romani nomine veluti indignus e civium communione ſocietateque jure meritoque eliminabatur, atque in miſeram ſervorum conditionem, in-

ſimamque gentem abruptam Civitatis partem ſecernebatur. Odioſa itaque ſervitutis poena, ob debita, ſtatuta, immo & acerbiſſima illa corporis ſectione ſancita, longe a Romanis luxus aberat, bonorum vitaeque aequalitas, interior Reipublicae animus atque mens, maxime conſervabatur. Cum enim bona in familia conſervantur, neque aere alieno contracto diſtrahuntur, nemo immodice dives, aut pauper evadit. Quod iis omnibus, qui in politicis vel mediocriter ſapiunt, proſpectum eſt. Hinc legislatores ferme omnes, ut bona in familia conſervarentur, ſexcentis caverunt legibus. Sed nec omnium mens eadem fuit, nec legum effectus idem. Qui enim in inaequali bonorum partitione legibus caverunt, ut in familia conſervarentur bona, Monarchicum Regni genus, aut Ariſtocraticam Rempublicam conſtabiliverunt; cujus inaequalitatem bonorum baſem ac fundamentum Politici praedicant. Verum ſi, ut bona in familiis conſerventur, lege rogatur, cum nullus alio magis Dives, aut pauper eſt; popularis tum conſtituitur Reſpublica. Ne itaque bona a familia diſtraherentur, multa Romani legislatores ſapienter excogitarunt. Pupillis Tutores; minoribus, ac prodigis curatores adſignarunt;

& hiſce ſimilia caverunt. Hac ipſa de ratione Moſes divinus ille Nomotheta ſanxerat, ne plenum praediorum dominium quovis contractu in alium transferretur: iis vero, qui egeſtate compulſi vendidiſſent, vel quovis alio nomine alienaſſent, optimum ſaluberrimumque remedium attulit, ut Jubilaei celebritate agri ad veteres poſſeſſores redirent nulla pretii oblata ab iis mercede, etiamſi ad centeſimum emtorem perveniſſent. Multa hac de re a doctiſſimo Rabinorum *Moſe Ben Maimonide* erudite diſputata, cui otium erit, apud eum is legere poterit. Sed ut ad Decemviros redeamus, qua de re in debitores adeo ſeveri atroceſque fuerint, jam perſpicue patet. Quid vero iis reſpondebimus rationibus, quibus decemviros a populari ſtatu alienos fuiſſe contendunt; quod famoſorum libellorum ſcriptores morte multarunt? Primum nuſquam tam male diſputatum exiſtimo, quam hac in re. Non quod populi aures vellicent famoſi libelli; inde ſequitur a Democratico legislatore praemiis promovendos, vel ſaltem impune eſſe relinquendos. Et ſi res ſane haud cortice tenus expendere velimus; Satyrica ſcripta Democraticae republicae formae contraria adverſaque comperiemus. Non alia

de cauſa Satyra inventa eſt, quam ut quos accuſare non poſsis, ac quorum crimina apud judicem perſequi ac ulciſci nequeas, ſcripto ſaltem, ac Satyrico libello vindictam de iis ſumas. Hinc ita comparatum eſt, ut ſi in Democratia famoſis libellis ſcribendis cives operam dent, noxios ſonteſque ſatyrico inſectentur flagello, a publico accuſandi munere ſtudioque diſtrahantur. Quod civitati ſummo detrimento atque perniciei eſt. Cives namque haud ſcriptis criminum vindices, verum qui apud judices, cenſoreſque aliorum crimina pravoſque mores perſequantur, Democraticus legislator exoptat: In Monarchico vero Regni ſtatu, in quo minor accuſandi libertas, nec accuſatio fere publica eſt, & contra pravos mores nullae inſtituuntur Dicae, hujuſmodi ſcripta, quae Principis oculis occulta quaedam ſubjiciunt delicta, quae nullo alias divulgata accuſatore fuiſſent, corruptoſque procerum nobiliumque mores, qui in ceteros totius civitatis ordines manant, ſeque inſinuant (ut jure Tullius e nobilium victu, atque more univerſam conformari Civitatem dixerit), hujuſmodi, inquam, ſcripta non penitus ſunt proſcribenda.

Heic

Heic vero inopportunum haud erit quaerere, cur apud Romanos tam ſevere, apud Graecos tam leniter hujuſmodi ſcripta multata dicantur. Athenis enim leviſſima prorſus poena Satyricos libellos a Solone coercitos legimus. Nec niſi pecuniaria fuit. Haec nobis ratio ac cauſa videtur. Apud Romanos, quorum ingenia nondum Poetae, humaniores literae, ac bonarum artium cultus erexerant atque acuerant; ut proinde Satyricum ſcribendi genus non nimium ipſis familiare atque gratum eſſet; hoc crimen graviſſime multare arduum minime fuit. Satyra enim elati erectique ingenij, indigna perferre impotentis, injuſta indignantis atque ſtomachantis foetus eſt: nec ſine ſummo ſtili lepore, ſale, atque ακριβεια ſcribi poteſt. Recentioribus hinc temporibus Romani Graecanica exculti eruditione hoc ſcribendi genus ipſi quoque ſectati ſunt. Graeca vero natio omnis cultus eruditioniſque parens, apud quam Poeſis ortum habuiſſe videtur, acri iſti ſcribendi generi, carpendique ſtudio adeo vacavit, ut ob id ipſum Tragoediam, Comediamque antiquiſſimis uſque temporibus excogitarit: Atque Immortale quoque Iliadis Poema Satyricum opus eſſe Lynceus quiſque videt.

det. Non alia Homeri mens fuit, niſi Aſiaticos carpere, ac prae Graecis deprimere. Quamobrem multa iis crimina appingit; ut foedifragos notat; Hoſpitalis juris, ac legatorum violatores; atque hujus generis alia inurit. Hinc egregie Plato Homerum Tragoediae ducem adpellavit: tuque primum ſatyrae inventorem jure dices. Sicuti enim privatorum comoedia ſatyra eſt; ita magnorum virorum Tragaedia. Solon itaque ſapientiſſimus ille nomotheta, cum hiſce ſtudiis adeo Graecos addictos animadverteret, ab ipſis avertere impoſſibile ratus, levem poenam conſtituit; ne ſine poena delicta relinquere videretur. Atque prudentis ſane legiſlatoris eſt in vitia quaedam, quae ita nationi ſunt ingenita atque propria, ut ſine iis, ut ita dicam, vitam traducere nequeat; haud atrocem poenam ſtatuere: ſecus omnis ejus νομοθεσια evertitur; atque ab uſu populi abrogatur non minori temporis ſpatio, quam Draconis ſublatae leges. Non alia de cauſa Hebraeorum populo polygamiam ſalaciſſimae orientali genti adeo expetitam Divinum numen conceſſiſſe fatendum eſt. Quam etiam legis rationem ſectatus eſt impium illud Mahommedis caput.

put. Inter tam multas vero rationes, quibus a ſanctiſſima Chriſti religione orientales maxime abhorrent, haec profecto eſt, quod voluptuoſis, atque ob aeris conſtitutionem maxime Venereis hominibus omnes praeripit voluptates; ejus enim corporis mentiſque puritas, ac continentia ſcopus eſt. Eademque de cauſa ſeptemtrionales populi Catholicae religioni libellum repudii dederunt, nempe quod minus ipſa libertati, ad quam natura ducuntur, favere videbatur. Hinc Calvinus peſtis illa religionis, ut ſuae doctrinae viam ſtrueret, populoſque in ſuam haereſim alliceret, atque eorum auriculis inſerviret; docuit *omnium optimam Reipublicae adminiſtrandae rationem eſſe Ariſtocratiam, quin etiam democraticam, & quod conſequens eſt, peſſimum omnium Monarchiam*. Haec in IV. Inſt. lib. C. IX. non minus falſe, quum impie: cui concinit Lutherus aeque impius: qui *robuſtos venatores Nembroth imitatores* Principes vocat; ac *Papatum robuſtam Romani Epiſcopi venationem*. Oh ſceleſti, ac impudentiſſimi oris pus atque venenum! Omnes vero horum politicae propoſitiones nationum ingenio optime conveniunt. Noverant ſiquidem

dem vaſerrimi homines tum religionem in aliquo populo radices agere, quum nationis ingenio, Reipublicaeque politiae convenit; ſicuti Politiam, quae religione fulcitur, immutabilem firmiſſimamque eſſe tum ratio, tum praeteritarum Rerumpublicarum evincunt exempla. Adeo ſunt duae iſtae inter ſeſe cognatae atque conjunctae, Politia nimirum, atque Religio, ut una ſine altera non diu conſiſtat atque perduret, invicem mutuoque ſibi opitulentur. Hinc feliciſſimam illam Rempublicam adpellare vere licet, in qua harum conſenſio ac conſpiratio eſt. Labet vero illa neceſſe eſt, in qua a *νομοθεσίᾳ* Religio diſcrepat ac diſſidet. Cum enim duobus maxime adfectibus ad agendum humana impellatur natura, praeſenti nimirum voluptate, futuraeque felicitatis ſpe, praeſentem politia, futuram relligio polliceatur; ita præſens voluptas cum futura beatitudine erit componenda, ut quae una permittat, altera non vetet: praeſentem voluptatem, quam Politia pollicetur, Religio non amputet: nec illi denique quocunque modo adverſetur: unaque alteri inſerviat. Quod cum veteres omnes Rerumpublicarum Architecti prae oculis habuiſ-

buiſſent , excellentes beatiſſimaſque Reſpublicas conſtituerunt, ut cives ; quum Reipublicae legibus obtemperarent , Divinis quoque obedire viderentur ; quum vero Divinis , Reipublicae ſtatutis inſervirent . Idemque morale , ac politicum agendi principium erat . Veterum veſtigiis ſceleſtiſſimus ille Mahommedes etſi illiteratus, vaferrimus tamen naturalique prudentia mirandus inhaeſiſſe videtur . Cum enim compertum haberet , ut ſupra innuimus , barbaram illam gentem Boeotica craſſiorem praeſenti tantum corporis voluptate permoveri , hanc ita cum alterius vitae felicitate copulavit , ut paradiſum locum eſſe ſtatuerit , in quo Veneri , & otio indulgere iis , qui Alcorani praecepta apprime ſervaſſent , pro praemio atque mercede a Deo daretur . Verum ad Decemviros redeamus . Et quod Talionis jus eorum legibus ſtatutum fuit , id non modo nihil Tyrannicum ſapit ; immo populare eſt , ac Democraticae Reipublicae multum conſentaneum . Quid enim tam aequalitatem ſervat , quam id , quo eodem jure ſummus , infimuſque civis utitur ? Quamobrem Solon in populari Athenarum Republica jus iſtud ſtatuit , quod a Moſe

Mi-

Minos, a Minoe vero ceteri legislatores acceperunt; ut in noſtra Homerica Θεμιδι docebimus. Nihil itaque Decemviri, ſi recte ratiocinati ſumus, omnium libertati contrarium ac diſcrepans ſtatuerunt, nihil, quod tyrannicum ingenium oleret: &, quod ſane admiratione dignum, nihil contra juſti, libertatiſque rationem privato ſuo ipſorum commodo, aut imperii cupiditate ſanxerunt: verum ex interiori naturae, gentiumque jure, ex optimorum legislatorum, Rerumpublicarumque imitatione divinas illas XII. Tabulas publici, privatique juris fontes origineſque conflarunt, compoſuerunt, ordinarunt., Non tanta illorum regnandi cupiditas fuit ut ratione, ac legibus ad regnandum abuterentur. Vi tantum imperium in populari Republica inſolens illegitimumque ſibi conſervare conati ſunt. Quod illos ſane de imperio deturbavit atque dejecit Si enim non tam cito perſonam depoſuiſſent; populumque eo uſque demulſiſſent; donec pravis latis legibus, maliſque moribus inductis, veterem ſanctamque morum diſciplinam atque inſtitutionem corrupiſſent; ſine ullo conatu Tyrannidem adepti eſſent. Eſt enim jam nulli ferme ignotum, corru-

ruptum populum parvo labore facillimeque redigi in ſervitutem. Quantum itaque ad primum legum officium attinet; laude potius Decemviri quam nota digni ſunt. Moderatam enim Regiminis formam invexerunt. Circa publicam civitatis diſciplinam inſtitutionemque jam multas Decemvirorum leges haud habemus. Quumque plures temporis injuria interciderint; iniquum ſane ferremus judicium, ſi e paucis tantum fragmentis Decemviros circa civilem morum inſtitutionem paulo negligentes adſereremus. Praeſertim cum veterem Romanae Reipublicae diſciplinam incorruptamque morum inſtitutionem, quam a legislatione proficiſci neceſse fuit, auctores laudent. Paucae itaque illae Tabulae, ut caput hoc tandem concludamus, brevi, ſapienterque contractus, ſacra, juſque omne publicum, privatumque, rectamque civitatis conſtitutionem complexae ſunt.

CA-

CAPUT II.

In quo de ſequioris aetatis nomotheſia agitur.

BEatam aureamque merito Decemviralem legum aetatem ſupra adpellavimus. Felix ſane Roma, ſi paucis hiſce contenta legibus, novas minime quaeſiſſet; veteres leges, incorruptoſque antiquos mores cum novis non permutaſſet, non diſſimili permutationis genere ab eo, quo apud Divinum vatem Il. VI. Glaucus, cui Κρονιδης Φρενας ἐξελετο Ζευς, aurea aeneis permutavit. Felix ſi tot juris, verborumque ambages, involucra, perplexitates, ipſamque callidiſſimam juris artem minime inveniſſet, quae juſtitiae vires ſubtilibus illis inveſtigationibus eluſit atque effregit. Recentioribus enim temporibus, quibus Nomotheſia mirum in modum aucta, publica civitatis inſtitutio tot tantiſque legibus additis corrupta eſt. Ac variis de cauſis legum multitudo vel crevit, vetuſque legumlatio vel immutata, vel aucta fuit. Recentiores namque Decemvirales leges jam uſu abrogatas in vitam revocarunt; conlapſas reſtituerunt ac con-

confirmarunt; vel illas latius explicarunt; vel ſuſtulerunt, novumque jus induxerunt. Ex quibus tanta legum multitudo copiaque eſſe coepit, ut jam non amplius ſimplex rectaque legumlatio, verum confuſa atque multiplex evaſerit. Quod tum inutili ſane opera, tum ſummo cum detrimento factum eſt. Quid enim opus antiquas leges vel magiſtratuum incuria, vel potius morum corruptione abolitas repetere, noviſque exprimere? Potius erat poenarum vindicatione veteres leges in vitam reducere; quam novis, aeque ac prioribus, oblivioni tradendis eas recoquere.

Satis itaque erat edicto illas quaſi iterum promulgare, ut improba Tyrannorum ratio devitaretur, qui aerarium ditandi cauſa pecuniarias poenas e legibus tanta annorum intercapedine abolitis ſibi vindicabant. Sed Politicis aliis ex cauſis legum latio cepit incrementum. Ex collapſa enim antiqua Reipublicae diſciplina; novaque vivendi ratione, atque civilibus ex fluctibus novae ſunt latae leges. Cum enim veteres iterum inter populum, ac optimates diſſentiones, ac diſcida eſſe coepiſſent, quae Decemvirali legum latione compoſita fuerant, nec plebs, aut

 no-

nobilitas communi, aequove jure uti vellet; plebs Tyrannicum imperium in nobiles, nobiles vero in plebem conſectabantur. Hinc plebs nimio immodicae libertatis licentiaeque appetitu per ſeditioſos Tribunos multa plebiſcita tulit, quae ut a populi impotentia profecta, unique ſolum civitatis membro utilitatem afferentia, iniqua plerumque & injuſta fuerunt. Non enim univerſo civitatis bono conferebant. Ac praeclare Plato philoſophorum ille Deus IV. Reipub. lib. hujuſmodi civitatem, cujus membra diſſideant, non unam, ſed plures multipliceſque vocat; atque hujuſmodi leges, quae uni civitatis parti ſolum intendunt, pravas injuſtaſque dicit. Non enim quaeque Civitatis pars ita diſponenda eſt, ut ſingularum bonum quaeratur; ſed ut toti proſpiciatur ſocietatis corpori. In hanc rem appoſite plebem Romanam creatis tribunis quaſi partem a reliquo populo abruptam, ſuam patriam peculiaremque Rempublicam conſtituiſſe Q. Cincinnatus apud Liv. l. III. ait. Has vero civitates neceſſario ruere Chriſtus Dominus apud Matth. docet: *Omnis Civitas, vel domus contra ſe diviſa non ſtabit*.

No-

Nobiles e contra dominatum adfectantes, multa S. C. tulerunt ; quae plebis imperio ac potentiae detraherent , ejuſque commoda juraque minuerent , frangerent, labefactarent . Hinc ipſos conſilia non publica , ſed in privato , ſeductaque plurium conſcientia habuiſſe Liv. l. 11. ſcriptum reliquit. At vero ex Optimatibus nonnulli plebis adſentatores exſtiterunt, non ſecus ac Tyrannorum adulatores ſunt . Hinc multae conſulares leges ad populi ſenſum nutumque confictae videntur. Videtis quanta inter legislatores hoſce partium ſtudia? Quot tulit Sylla leges odio in Marii partem exagitatus contra plebem, Marius in nobiles, atque Syllanos : ac poſtea Pompejus in popularium partium ſtudioſus , Caeſar vero in optimates ; aliique , quorum ſuae quiſque parti ſtudens contra alterius potentiam leges rogavit ? Qui omnes communis Reipublicae hoſtes miſere illam dilaniarunt & diſcerpſerunt ita, ut Romana Reſpublica campus fuiſſe videatur, in quo & armis & legibus viri contrariarum partium ſtudioſi congreſſi ſunt: Romanamque hiſtoriam novam Iliadem adpellare non inconcinnum ſit; in qua mutua clariſſimorum virorum praelia deſcribuntur.

 At-

Atque heic mediae juriſprudentiae, quae erat quidem lege XII. Tab. junior, imperialibus vero Conſtitutionibus anterior, ut Tribonianus ait, fines terminoſque conſtituunt. Omni itaque Reipublicae imagine cum libertate extincta; inque unius principatum Democratia verſa, nemotheſia cum nova politica conſtitutione adſpectum mutavit, & aliis coacervata legibus fuit.

CAPUT III.

De Imperiali legum latione.

NOva nunc incipit legum latio. Nova Imperii forma invecta, nova Civitatis diſciplina atque inſtitutio; novus in ſcenam jam nomotheta exit. Auguſtus poſt Caeſaris fata jam Reipublicae Princeps, qui omnia moderabatur, quamplurimas tulit leges, quarum ſcopus unus fuit, ut civitatis ſtatum, politicamque conſtitutionem inverterent, immutarent, principatum ſtatuerent, populumque dulci, deceptoriaque ratione jugo ſervitutique ſubmitterent. Verum cum veteres leges, quae Reipublicae popularique ſtatui erant adcommodatae, etiam ſtarent, ma-

magna hinc legum diſsentio ac conflictus, confuſio, perturbatio. Cum vero antiquas leges illas tollere aperte non auderet; ut veterem Reipublicae politiam penitus everteret, maximum in Nemotheſiam malum intulit. Cum enim ad ſuam uſque aetatem prudentum interpretatio ars quaedam fuiſſet legum explicandarum; eorum ipſe reſponſis legis vim dedit. Quumque reſpondendi munus, facultatemque iis largiretur, qui e nutu ſuo penderent, ac Principatus adſertores ac conſtabilitores eſſent; hac ratione callide excogitata veterum legum libertatis vindicum vires enervavit; earumque oblivionem induxit. Juris enim conſulti, quos ad eam dignitatem Princeps evexerat, non pro libertatis, Rerumpublicarumque ingenio, ſed pro principatus, uniuſque Imperii ratione reſpondebant. Animadverterat ſane Princeps πολιτικωτατος, quod & Plato inquit in divina Reipublicae conſtitutione, quam ex una illa, immutabilique recti juſtique idea expreſſam ad humanarum rerum uſus conformavit, antiquas leges in Civitate cultas libertatis vindices ac cuſtodes eſſe: quouſque igitur priſtinae leges ſuam in civitate vim obtinerent, fruſtra liberta-

tis mortem oppreſſionemque moliturum. Ac revera Reipublicae fatum jam veterum legum oblivio, ac contemtus portenderant. Tantam itaque vaferrimus Princeps in eo curam elocavit, ut veterum legum ſanctiones eluderet, ſubtiliſſimis Jureconſ. interpretamentis, ſeu cavillationibus potius, opinionum reſponſorumque diſſidiis, atque varietate perfrangeret, ut incertum jus redderetur, ac pro Principis lubitu in utramque partem leges in judicio interpretarentur. Verum non perfectiſſime Principatum Auguſtus conſtabilivit, nec omnem poſuit nomotheſiam; quae Principatui congrueret. Sequentes vero Imperatores, cum jam ſervituti Romani ſeſe adcomodaſſent, apertius Regia poteſtate uti coeperunt, nec amplius temporis progreſſu, ut antea, Populi, Senatuſve auctoritas in legibus condendis, deque rerum ſumma deliberando auctoritas praeferebatur. Hinc quamplurimas leges, quas & Imperiales conſtitutiones, & novellas, & Reſcripta, Juriſque deciſiones adpellarunt, ad Juſtinianum uſque ſanxerunt. Qui poſtremus omnium hanc indigeſtam legum molem inter ſe diſſidentium conflictantiumque corrigere, emendare, concinnare, inque ordinem re-
di-

digere auſus eſt, nec ipſe philoſophus, quantum oportebat, nec qui ei aderant. Hinc Legumlationi parum utilitatis attulit; De ſancta vero antiquitate malemerentiſſimus fuit. Tot enim antiquitatis monumenta, tot tantaſque latinitatis gazas, eximia veterum Iſtorum ſcripta perdidit; poſteritatemque iis fraudavit. Sed publicas querelas ſuas nemo ſapiens facit; ut ait ille. Nonnullas pro piaculo tanto poenas eruditis viris Juſtinianus dedit. Quamobrem ipſi nunc parcendum exiſtimamus.

CAPUT IIII.

In quo de expoſitis legislationibus critice peragitur.

Diverſas Romanorum legislationes jam ita ab interioribus ſuis principiis repetitas expoſuimus, ut unicuique videre facile ſit quid de quaque Nomotheſia judicandum ſit. Quatuor itaque nomotheſias conſtituiſſe videmur. Quarum prima Regia eſt; quam Decemviralis ſequitur; hanc Media excipit; Mediam vero Imperialis. Regiae Fragmenta laudanda rati ſumus: de univerſa vero Regum le-

gum latione abſolutiſſimum judicium proferri haud recte poſſe adfirmavimus. Decemviralem auream fuiſſe nemotheſiam, prorſusque Divinam ſtatuimus, quae nec Solonis legislationi quicquam cedit. De duabus reliquis nunc erit dicendum. Superiorem jam orationem revocemus oportet, ut illius legislationis vitia retegamus. E variis ſane de cauſis tum mediam, tum Imperialem nomotheſiam pravam, nec rectam eſse dicimus. Optimam legum lationem eam eſſe novit, quicunque in hiſce ſtudiis profecerit aliquid, cujus una ſit conſpiratio, ac conſenſus unus; quae ſimplex, ac brevis ſit, circumque generalia verſetur; quae optimam in civitate diſciplinam, inſtitutionemque inducat; quaeque optimam denique conſtabiliat Reipublicae formam. Nunc vero primum ad hanc normam mediam Juriſprudentiam exigamus, an cum ea collineat, expenſuri. Ordinem, qui nobis commodus erit, ſequemur; & illum nonnumquam pervertentes, quae primo propoſuimus, poſtea diſputabimus. Ac primum quî rectam, temperatamque Reipublicae formam; quî bonam ſanamque diſciplinam leges illae ponere ac ferere poterant; quae ex corrupta

Digitized by Google

rupta Reipublicæ inſtitutione, peſſimaque civili diſciplina profectae ſunt? ut ex iis, quae ſupra dicta ſunt, abunde patet. Plebiſcita nimirum, ac Senatusconſulta non publico plerumque commodo; ſed privato affectu inter arma atque ſeditiones rogata ſunt. Seditioſiſſimas hujuſmodi conſtitutiones nec legis nomen mereri Plato in Minoe inquit. Et Tullius quoque injuſta populorum ſcita leges haud eſſe dicendas l. 1. de ll. adfirmat. Quamobrem nec Titias, nec Apulejas, nec Livias injuſtas Tribunorum rogationes, aliaſque hujuſmodi leges eſſe habendas contendit. Non ferendum errorem admiſit Arniſaeus in erudita ſua Doct. Pol., ubi contrariam Tullj verbis appingit ſententiam; ut etiam injuſtas Rogationes leges a Tullio haberi adfirmet. Praeterea cum, ut idem Tullius ait in l. 11. de ll., leges immutabiles eſſe debeant, itaque conſtitutae, ut mutari nequeant, quin civilis corruat diſciplina, nec leges dici mereantur, quae temporis puncto ſint ſublatae; hinc Romanorum leges annuas potius ſanctiones dicemus, quum tantas paſſae ſint mutationes: recentioribus enim minori, ut ita dicam, temporis ſpatio quam anno ſublatae priores. Atque hae recentiſ-

ſimis

ſimis ſunt abrogatae, ut etiam noviſſimum jus recenſeri legas. Quanto ſapientius doctiſſima Græcorum gens voluit, ut ne veteres immutarentur leges, nec novae ferrentur niſi praevio totius civitatis maturo conſilio, redditaque novæ ferendae legis ratione ab eo, qui legem rogabat, qui capitis periculum apud quoſdam Graeciae populos ſubibat, ſi rectam utilemque legem non tuliſſet. Quod utinam ſane Romae quoque fuiſſet ſtatutum! vetus namque legumlatio ſtetiſſet, nec tam cito civilis diſciplina fuiſſet corrupta. Ex caſu igitur, varia, fluctuanteque Reipublicae fortuna quamplurimae recentiores Romanae leges promanarunt. Atque hujuſmodi de legibus in IV. leguml. lib. verba facit Athenienſis ille Platonicus hoſpes, cum inquit: *Fortunas, caſuſque varios incidentes leges nobis per omnia ferre*. Ex tot igitur, quae Romae extiterunt, ſeditionibus, totidem leges ortae ſunt: quae varios civiles motus, caſuſque ſecutae ſunt. Cumque ad legum mentem ac rationem Publicae Res ſint moderandae; leges iſtae e contrario civilibus motibus aptatae ſunt. Jam vero quae harum legum concinnitas ac aptitudo eſſe potuit, quum non unus legiſlatorum con-

ſen-

ſenſus ; nec una conſpiratio eſſet, non unus ſcopus unuſque finis, diverſaque de Republica cogitandi ratio ; pauci publico bono, privato adfectu major pars commoveretur, factionum ſtudiis, falſaque recti juſtique ſpecie; non uno denique ac ſapiente Architecto nomotheſia, ac fluctuans Reipublicae ſtatus conſtarit? A ſimplicitate vero, brevitateque tantum abſuit; ut prolixius nihil confuſiuſque : ingens profecto incredibiliſque fuit legum copia, ſi leges Plebiſcita, & S. C. ſunt dicenda, quae plerumque de ſpeciali aliqua ſpecie proferebantur, nec generale juris caput complectebantur, ſtatuebantque . Quamobrem ſapientiſſime hac in re, ut in omnibus, ſtatuerunt Athenienſes ; *utei Senatuſc. in annum tantum jus facerent*.

Quarta legis lationis ſpecies ab Auguſto ad Juſtinianum uſque proceſſit. De hac nos brevi dicturi ſumus, cum ex ſuperioribus, quidnam de tot tantiſque diverſorum Imperatorum legibus judicandum ſit, qui ex comparatione ratiocinari didicit, abunde habeat. Nec nos multum delectat eadem fuſe repetere. Principum itaque conſtitutiones ab indoctiſſimis venalibuſque Aulicis plerumque

latae,

latae ; Tyrannico nonnumquam ingenio Imperantiſque cupiditate profectae haud ſemper aequitatis, publicique boni ratione fulciuntur. Immo fere ſemper peculiarium ſpecierum caſuumque definitiones ſunt. Nec ulla fere Imperatorum lex eſt, quae de publico rerum ſtatu praeſcribat, aut fundamenta Reipublicae ponat, quae mutari nequeant, & ex quibus ſtatus ac Politia regatur; Reipublicae Princeps ac cuſtos ſe gerat, remque adminiſtret.

CAPUT V.

De Honorario Jure.

SI mirari alicui forte ſubeat, quamobrem, poſtquam de univerſa Rom. legum latione a Regiis temporibus uſque ad ultimam Imperatorum Nomotheſiam, fuſius egerimus; de Honorario Jure, in quod tot Jureconſulti commentaria conſcripſerunt, orationem nunc poſtremum inſtituamus; is inſtituti noſtri rationes audiat. Cum Honorarium Jus, quod magiſtratuum omnium edictis componebatur, tam ad mediam, quam ad Imperialem legiſlationem pertineat; hinc hoc in loco expen-

den-

dendum reſervavimus. Perpetuum enim Praetorum edictum Salvi Juliani ſapientia conditum, non exiguum Nomotheſiae caput, ſub Imperatoribus fuit. Verum quoniam optimus juvenis morum elegantia, interiorique juris ſcientia ornatus Michael Arditus nobis voluntatem ſuam ſignificavit deſideriumque, ut de Juris Honorarii adpellatione aliquid commentaremur; oblata hoc occaſione omnium primum, ut ei pro noſtra amicitia ſatisfaciamus, ex quo Jus iſtud Honorarium ita adpellatum fuerit, quaeremus. Ut verum fatear, expromtis hactenus explicationibus numquam adquievi. Conjecturam proferamus, quae vero multum ſimilior eſt: certiſſimam adfirmare non auſim. Cum itaque Magiſtratus jura condendi facultate minime pollerent, ne novum Jus ſtatuere viderentur, ac leges novas ferre; jus, quod ſtatuebant, Honorarium dixerunt: quaſi jus, quod honoris cauſa tantum, non vero ut ei quempiam obſtrigerent obligarent que, edicerent. Praetores preſertim, qui ab Optimatibus creati fuerunt, poſtquam Conſulatum jus ab iis plebs extorſiſſet, ut magiſtratum gererent, qui cum plebe communis non eſſet, omni devitabant cu-

ra

ra plebis offenſionem, cum legislatorium poteſtatem ſummumque imperium ſibi adrogarent. Hinc tantum honoris cauſa Jus edicere jactabant: veluti ſi tantum Honoraria iis legum ferendarum poteſtas conceſſa eſſet. Sicut & apud veteres honorariae Prerogativae erant, & Honorarii, qui *muneris exortes*, *nomine participes erant*, ut belle Auſonius ait, qui ſine munere, ſine officio ad dignitatem ab Imperatoribus evehebantur honoris cauſa, ac praerogativas impetrabant, veluti ſi in officio eſſent. De hiſce Codicem Theod. conſule, in quo honorariarum dignitatum, officiorumque frequens occurrit mentio. Sic & illa Praefectura erat, de qua Juſtinianus novel. LXX. ισμεν γαρ, ως το αρχαιον ην τινος ὑπαρχοτητος σχημά, ην ονοραριαν εκαλουν, κωδικελλων εκ της βασιλειας επ᾽ αυτη παρεχομενων, ταυτην δε ουτως ωνομαζον, ως ουδενος ετερου, πλην ψιλης τιμης τοις ταυτης ηξιωμενοις παρεχομενης. *Novimus enim, quod antiquitus erat quaedam Praefecturae figura, quam honorariam vocabant, codicillis ab imperio ſuper ea collatis. Hanc autem ita nominabant, quod nihil aliud niſi purum honorem quibus præbebatur conferret.* Hoc pariter ſenſu Honorarium Arbitrum Carneadem

dem apud Tullium Tuſc. l. V. c. 41. dici puto, quia ſine poteſtate eſſet, judicis tantum honorem habens; remque amice componens, non, ut vulgo inſulſe interpretantur, Arbitrer a Praetore datus. Sic & Honorarius Tutor in libris Juris dicitur, qui honoris cauſa ſine munere Tutor erat; cujuſmodi tutores tamquam obſervatores eſſe debere Ulpianus ait l. III. §. I. D. *de Adm. & peric. Tut.*

Jus itaque Honorarium ita dictum, ut concludamus, veluti jus, quod honoris tantum cauſa ediceretur. Inſpecta jam nominis adpellatione de ipſo nunc pro inſtituto noſtro agamus. Rem paucis abſolvemus. Nonnulli fuerunt, quorum ſententiam numquam probavi, qui legibus in quaeſtionibus de re privata decidendis opus non eſſe in recte conſtituta civitate aſſerunt, ſi boni praeferantur magiſtratus. Namque etſi in incorrupto rerum ſtatu bonos juſtoſque magiſtratus ſemper inveniri concedam, non tamen omnes reperies, qui ea ſint prudentia, juriſque peritia, ut quicquid in quaque re juſtum ac fas ſit, introſpiciant. Minime igitur probandum, magiſtratuum arbitrium legis loco eſſe debere. Magiſtratus namque

que Diſpoticus Reipublicae dominus eſſet. Hinc cum Praetorum libido, quod jus ipſis placeret, ediceret vel lucri vel favoris cupiditate; L. Cornelius Tribunus Plebis rogavit, ut perpetuo fixoque jure in toto anno uterentur. Jus tamen iſtud ſempar incertum, arbitrariumque fuit, cum ſingulis mutaretur annis: donec certum, fixumque Jus evaſit, cum illud. Salvius Julianus ordinaſſet ac compoſuiſſet. Ad Politicae critices trutinam jam legum hanc lationem revocemus. Ac primum abſurdum eſt magiſtratibus legum ferendarum poteſtatem concedere: praeter enim quam quod poſitae ſemel legum lationi ſemper ſtandum eſt; nec unquam ab illa, niſi gravi de cauſa totius civitatis conſilio cognita, recedendum, ut poſtea dicetur; pernitioſa res habenda, magiſtratus, quos non ſemper ſapientes, non ſemper aequos juſtoſque nanciſcemur, pro arbitrio leges ferre: leges enim nec ſemper ſapientes erunt, nec ſemper juſtae; magnaque earum anthiteta atque antinomiae erunt, cum ſubſequens magiſtratus priori aliqua ſaltem parte adverſetur. Sed demus, quod plerique autumant, Praetorum edicta propter aequitatem ab omnibus Praetoribus, qui poſtea

ſtea ſunt ſecuti, fuiſſe probata, ut certum, nec fluctuans Jus evaſerit; non iccirco laude digna haec Nomotheſia erit. Quid enim Praetores? Jus legesque aequitate duce interpretati ſunt? Et numquam legis interpretatio pro lege recipienda. Jus variarunt, vetereſque abrogarunt leges? ſed Pernitioſum & hoc eſt veteres evertiſſe leges, ut & ex ipſis, quae inferius diſputabuntur, erit in promtu. Atque en jam Romanae Nomotheſiae imago, formaque ab ipſis breviter primordiis atque incunabulis repetita, omniſque legum fons, interiorque origo patefacta eſt.

CAPUT VI.

De Legibus, qua ad Reipublicae conſtitutionem, civilemque diſciplinam pertinent.

CUm ad ultima uſque Romani Imperii tempora pervenerimus, operæ pretium eſt retro converti, atque ad Romanae Reipublicae primordia iterum regredi. Ita nomotheſia cum civili conſtitutione connexa ac copulata eſt, ut, nomotheſia corrupta, Reipublicae quoque ſtatus neceſsario corrumpatur,

in perturbata vero, nec recta civitatis forma optima illico evertatur nomotheſia. Hinc quamvis auream praeclaramque legislationem aliquando Roma habuit, quam Decemviralem fuiſſe ſupra aſſeruimus, brevi tamen temporis progreſſu everſa fuit. Omnis enim Reſpublica, quae ad corruptionem declinavit, quaeque jam ad civiles ſeditiones contentioneſque, atque ad arma devenit, bona iterum diſciplina inſtitui, ac veluti iterum conformari nequit. Hujuſmodi Romana Reſpublica fuit, quae ab initio vitioſa ad rectam revocari formam numquam potuit. Poſt enim Decemvirorum legislationem ſeditiones iterum civium animos agitarunt, ex quibus ultimum Reipublicae fatum ſecutum eſt. Verum ipſas origines cauſaſque pandamus, ex quibus ab initio Publica Romanorum res male compoſita, multumque temporis progreſſu jactata fuerit, ac publicus civitatis ſtatus perturbatus ſemper ac corruptus manſerit. Cum populus quiſpiam caſu, aliquave fortuna in libertatem adducitur, ut Romanus, ſapientem bonumque civem nanciſcatur oportet, qui & Rempublicam jam recenti ſeditione commotam componat, & civilem ſtatum,

aequam-

aequamque Regiminis formam conſtituat ac conſtabiliat: ut Minoem Creta habuit, Sparta Lycurgum, Athenae vero Draconem primo, deinde Solonem. At id cum Romae non contigerit; hinc tot ſeditionum turbines exſtiterunt. Regibus namque expulſis, libertateque caſu quæſita, populari quodam motu regi eorum Reſpublica coepit. Cumque nemo veluti ſapiens Architectus illam efformaſſet ac compoſuiſſet; cujuſque ordinis & aetatis officia deſcripſiſſet, ſummum imperium vel in una Reipublicae parte repoſuiſſet, vel aeque in omnes diviſiſſet; quaeque Reipublicae pars inſurrexit, ut ſummum imperium ſibi adrogaret, aliaſque ſibi ſubjiceret. Ex quo fonte manavit, ut civitas ſemper commota fuerit: atque ex hoc uno capite civiles contentiones omnes initium habuerunt. Hinc ſi Romanam Rempublicam recte expendas; nec inter ſimplices Rerumpublicarum ſpecies recenſebis; nec enim ſimplex Ariſtocratia, aut Democratia fuit; nec mixtam fuiſſe, ſi ſapis lector, adfirmabis cum erudito Arniſaeo, aliiſque doctis Politicis. Numquam igitur illa Reipublicae temperatio, quam Scipio in libris de Repu-

blica, teſte Tullio, deſcripſit; Romae fuit, quae ex aequa ſummi imperii diviſione conſtat. Hinc, ut diximus, cum quaeque civitatis pars pro ſummo imperio dimicaret; ſeditiones habuerunt originem. Ex quibus Reipublicae ruina profluxit. Ex imperii enim aviditate ſancta illa vetus publica Romanorum diſciplina corrupta, ex morum vero corruptione Reipublicae everſio atque ultimum fatum ſecutum eſt. Non enim ego in ea ſum opinione, ut factiones ſeditioneſque Reipublicae utiles eſſe credam, quod Craſſus apud Tullium II. de Orat. & Machiavellus I. Serm. Pol. docuerunt. Ad ipſorum ſententiam reſpiciens Obeſius egregie ait. *Non ſunt enim mala, atque ſcelera proinde laudanda, quod ex iis bonae oriantur leges, ſicuti nec morbi humano corpori ſunt appetendi, quod occaſionem praebent optime opera medica utendi.* Superiori ſimilis quaeſtio illa eſt a veteribus, ac recentioribus multum agitata; ſeditioſorum Plebis Tribunorum creatio profueritne Reipublicae, an contra? Inter M. Tullium, & Q. Fratrem non levis hac de re diſſentio in III. de ll. eſt. Cujus rei mentio locum ejuſdem libri adeo conclamatum mihi in men-

mentem revocavit, quem reſtituere heic tentabimus. Cap. XIX. poſtquam duas Decemvirorum leges multum laudaſſet Tullius, quarum una tollit Privilegia, altera ſancit de capite civis Romani non eſſe ſtatuendum re, niſi maximo comitiatu, haec habet. *Nondum inventis ſeditioſis Tribunis Plebis negotialis quidem admirandum tantum majores in poſterum providiſſe*. In vera lectione proferenda critici diſſident omnes: in eo ſolum conveniunt, locum eſſe inſigniter corruptum. Turnebus ita ſcribit, ut verba modo adtulimus. Hunc vero ſenſum fuiſſe conjicit, ut Tullius dicat majores, Decemviros nimirum, multo antea Tribunorum Plebis audaciam providiſſe; quae in poſterum adeo debacchatura eſſet, ut cives manu armata de civitate forent ejecturi; atque ad ſuam expulſionem alludat. Si haec Tullii mens fuit, quam e tot eruit tenebris vir doctus; hanc antiquam fuiſſe lectionem divinarem ego. *Nondum furentibus ſeditioſis Tribunis Plebis, nec exercentibus odia litibus, admirandum quidem tantum majores in poſterum providiſſe*. Id eſt nondum furentibus Tribunis, nec litibus jurgiisque odia exercentibus majores eorum audaciam tam longe prorupturam providiſſe, ut manu arma-

ta cives ex urbe ejecturi eſſent; quamobrem neminem multari ſanxerunt, niſi comitiis centuriatis. Particulam vero *quidem* in locum, ex quo deturbata fuit, retulimus. Hanc non ut veram cuiquam obtrudimus, ſed ut probabilem lectionem. Ex quo autem pro genuina, corrupta ac vulgata lectio in textum irrepere potuerit, videamus. In aliquo forſan MS. legebatur ſolum .... *enti* ... ceterae vero fortaſſis literae erant deletae; ex quo *inventis* maleferiatus librarius legere potuit. Fortaſſis & erat ita ſcriptum *ne* .. *g* .. *ocia*. *li* .. *s* pro *nec exergentibus* &c. at e quatuor verbum unum *negocialis* dirum librarii caput effecit. Literae enim *d* linea ſuperminente corroſa, legebatur *c: exergentibus* vero antiqua ſcriptura exaratum erat. Sunt hae hariolatines; non diffitemur. Sed cum e mſs. veram lectionem haurire non poſſumus; hiſce agendum eſt. Certe Tullii locus, ſi ita minime legas, prorſus intelligi nequit. Veteres MSS. & viri Critici parum ei lucis adulterunt. Verum ut ad id quod principio dicebamus, revertamur: non ſunt quidem in Rempublicam mali exempli res inducendae, quod bonae ex iis oriantur leges.

Sicu-

Sicuti enim duplicem medicinae partem medici faciunt, & quae ſanitatem conſervet, a morbiſque praecaveat, & quae jam amiſſam reſtituat, ut Galenus *de ſanit. tuenda c.* XXX. inquit, ita duplicem legum diviſionem aſſeremus. Vel enim leges Rempublicam efformant, praeclaramque politicam conſtituunt, bonos, juſti honeſtique amantes diſciplina educationeque cives inſtituunt, civitatique a corruptione praecavent; vel jam corruptae remedia adferunt: ſcelera, ac facinora peſſimoſque mores puniunt. Cum peſſima Reipublicae conſtitutio ſit, ac nulla jam ſane publica civitatis diſciplina, civiumque educatio; ſcelerumque multitudo graſſetur; nihil vel praeclariſſimae proſunt leges, quae in facinoroſos rogantur. In recte vero riteque conſtituta civitate paucis quidem legibus bene educati cives, virtutis honeſtique amantes, juſtam integerrimamque vitam ducent. Quod divina ſua dicendi ubertate Socrates in Platonis Republica diſputat.

Quae profecto cauſa fuit, quamobrem fuerint gentes ſanctiſſimis moribus, rigidaque vivendi ratione in hiſtoria clariſſimae, quae nullo ſcripto jure ſanctius aevum duxerunt, quam tot latis legibus cultiſſimi

Digitized by Google

populi. Philonem audite, cujus haec ſunt verba latina civitate donata ex l. de Abraham. *Priſci illi ante leges ſigillatim proditas non ſcripto jure uſi pari felicitate, ac facilitate vixerunt, ut merito quis dicere poſſit leges ſcriptas nihil aliud eſſe, quam veterum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta, factave narrantur.* Egregie, vereque Philo, cum legibus ſancitum, quod in more majorum poſitum erat, ſcripſit. Sic Tullius de ll. ſe eas profitetur leges ferre, quae *erant fere in more majorum, qui tunc pro lege valebat.* Cum enim ſanctas majorum conſuetudines, vetereſque mores collabi, ac in pejus ruere animadverterent, eas poenarum ſanctionibus reſtituere legislatores conati ſunt, ut quae antea lubenter atque ex ingenij proclivitate, ea deinde poenarum metu tenerent obſervarentque.

Verum ut ad propoſitum redeamus: pleraeque bene moratae gentes initio ſine legibus vitam, ac ſanctiſſime quidem, egerunt. In III. l. lib. idem Plato ait. *Nondum leges habebant illius temporis homines, ſed conſuetudinem, & mores majorum ſequentes vivebant.* Homines parentum voluntate pro lege utentes juſte vixiſſe adfirmavit.

vit. Ceterum omnes ferme Gentes initio ſine legibus vixerunt: quod ait Juſtinus Hiſtoricus. *Principio populus nullis legibus tenebatur. Arbitria principum pro legibus erant*. Idemque auctor de Scythis. *Juſtitia gentis ingeniis culta, non legibus*. Nec aliud de Athenis prodit: *Sed civitati nullae leges tunc erant. Quia libido Regum pro legibus habebatur*. Et poſt quaedam: *Eligitur itaque Solo vir juſtitia inſignis, qui veluti novam civitatem legibus conderet*. Heic vel memoria Juſtinus lapſus, vel aliquid in textu deeſt. Ante Solonem nonne Draco leges Athenis tulit? Mea conjectura eſt poſt illa verba *libido Regum pro legibus habebatur*, de Republica a Dracone conſtituta, deque ejus corruptione auctorem verba feciſſe, ac deinde de Solone, quae habet, ſubjunxiſſe. Sed non de Athenienſibus ſolum; verum de Graecis omnibus l. 11. noſter Hiſtoricus ait: *Graeci omnes legibus initio carebant*. Androphagos, Thraceſque, quos autonomos Graeci dixerunt, ſine legibus, judiciiſque aetatem duxiſſe Al. Sardus in aureo eruditoque opere *De mor. & Rit. Gent.* docet. De Antiquiſſimis Neapolitanis Statius Syl. III. cecinit.

Nul-

Digitized by Google

Nullo Foro rabies , aut ſcriptae (ita pro *Strictae* legimus) *jurgia legis.*
Morum jura viris : ſolum ſine faſcibus aequum.

Quid vero nunc Poeta occineret , ſi divinitus in noſtram aetatem delatus tantam legum , conſtitutionum , Pragmaticarum ſanctionum acriter inter ſe diſſidentium & pugnantium multitudinem , Forenſiumque virorum rabiem, malis dolis atque fallaciis in civium capita impie furentium graſſantiumque , tot tantoſque Fori ſtrepitus , tumultus , vociferationeſque conſpiceret , audiretque. Primi vero , qui in Italia feruntur leges habuiſſe , Locri fuerunt . Quod memoriae l. VI. Strabo prodidit . Πρωτοι δε νομοις εγγραπτοις χρησασθαι πεπιςευμμενοι εισι. Longobardi vero etiam tanta annorum intercapedine majorum moribus ſumma cum religione excultis juſtiſſime vixerunt. Rotarius tandem, uti Sigonius habet l. 11. de Reg. Ital. an. DCXLIII., ſeptimus eorum Rex mores majorumque conſuetudines ſcripto tradidit , legumque ſanctionibus munivit . Leges itaque haſce recte concinneque ſcriptas conſuetudines adpellabis . Ex quo multae ſcriptae leges etiam conſuetudinum nomen retinuerunt : ſicut Feudales leges con-

conſuetudines dicuntur. Inepte inſulſeque haſce non recte conſuetudines adpellari quidam objiciunt. Sunt enim (ajunt) hae ſcriptae, & conſuetudo eſt jus non ſcriptum D. de ll. §. *ſine ſcripto*. Cui objectioni Duarenus ita reſpondit in Comm. Conſ. Feud. c. p. *Reſpondeo deſcriptas has eſſe a ſtudioſo quopiam, qui nullam habuit auctoritatem legis condendae. Quare non poſſunt dici leges. Nec ideo mutatum eſt nomen conſuetudinis, quod a privato ſunt conſcriptae. Sed ſi auctoritate publica eſſent conſcriptae hae conſuetudines, recte dicerentur leges: ut ſunt mores recepti Galliae, qui ſunt redacti in ſcripta auctoritate Principis. Ideo recte leges dici poſſunt.* Hæc Duarenus habet. At Neapolitanae conſuetudines, etſi Regia auctoritate firmatae, nihil minus conſuetudines ſunt. Nec obſtat quominus conſuetudines Feudales credantur publica fuiſſe auctoritate conſcriptae, quod leges non dicantur. Nec quod Regio munitae fuerint aſſenſu, eaedemque conſcriptae, ut quamplurimarum civitatum conſuetudines ſunt, leges omnino ſunt adpellandae. Non enim ex ſcriptura, ſed ex uſu aeſtimantur, & facilioris tantum probationis cauſa ſcriptae intelliguntur, ut praeclare

Vin-

Vinnius ait. Sed unde diſceſſit, redeat oratio. Nullis itaque, vel paucis legibus, quod initio dicebamus, quamplurimae Gentes recta inſtitutione imbutae juſte vitam egerunt. Sed finem capiti huic imponamus. Aquo juſtius enim crevit.

CAPUT VII.

In corrupto civitatis ſtatu, Diſciplinaque morum everſa leges bonas nihil prodeſſe, multas vero etiam obeſſe.

Corrupta morum diſciplina, conlabenteque Reipublicae inſtitutione, ut diximus, & bonae & multae leges parum juvant. Immo leges multae peſſimae corruptaeque civitatis ſunt manifeſtum ſignum. Sicut enim aegris corporibus remedia praeſtamus, cum *non egeant, qui ſani ſunt, medico*, ut apud Lucam Chriſtus ait; ita corruptis depravatiſque moribus leges medelam adferunt. Praeterea legum multitudo atque copia tum lites, tum malos corruptoſque mores progignit. Quamobrem doctus Geographus Strabo haec de Thuriorum Republica, quae legum multitudine vitioſa evaſit, ſcripta ex Ephoro reli-

reliquit ; *Thurios autem cum poſtea temporis ſubtilius extrema quaeque ſectari , & deſcribere conarentur , majorem reportaſſe gloriam , ſed Rempublicam habuiſſe vitioſiorem. Quippe bonis regi legibus non eos , qui legibus omnem calumniae locum volunt praecludere , ſed qui ſempliciter poſitis legibus inſiſtunt . Atque hoc etiam Plato dixit : Apud quos plurimae ſunt leges , apud hos etiam lites eſſe , & malos mores . Sicuti morbi ſolent eſſe multi , ubi multi ſunt medici*. Thurios cum Locrenſibus Geographus comparat , de quibus paulo antea ſcripſerat , *Ceterum Ephorus Locrenſium legum mentionem faciens , quas Cretenſium , Laconum , & Areopagitarum legibus Zaleucus concinnavit , ab hoc id in primis nove inſtitutum eſſe tradit , quod cum priores ſingulis delictis poenae imponendae modum , ac definitionem judicibus permiſiſſent , ipſe in legibus poenas expreſſit , ratus ſententias judicum de rebus iiſdem non eſſe eaſdem , atque poenas eſſe eaſdem oportere , & quod de contractibus ſimpliciori conſtituit ratione* . Strabonis verba e Græco textu a nobis reſtituto ita reconcinnata tranſtulimus . Corrupte antea legebatur δειν δε τασ αυτας . . . , επαινειν , το απλουστερως περι των αυτων

συμ

συμβολαιων διαταξαι : Aliquid excidiſſe poſt verba τας αυτας exiſtimat Vir Imm. Iſaac. Caſaubonus, qui ita priſtinam lectionem reſtituere profitetur: δειν δε τας αυτας ειναι τας ζημιας, οπερ αξιον επαινειν. Si quamminima mutatione pro επαινειν legas ποινας ειναι: belle ſibi auctor conſtabit, & ſimplicior, vero ſimiliorque emendatio erit. Verba enim ſaepe conjuncta a librariis jam harum literarum non rudibus notum. Duo itaque Rerumplublicarum inſtituta nobis a Strabone produntur. Ac Thuriorum Rempublicam merito vitioſam adpellavit. Contra vero Zaleucus optimam praeclaramque Reipublicae ordinandae rationem ſectatus eſt. Non enim legum multitudine litibus, praviſque moribus aditum aperuit, nec veteres legiſlatores, quibus Plato adſtipulatur, ſectari voluit; qui poenas infligendas Judicum arbitrio reliquerunt. Quamvis enim boni ſemper Judices eligantur; tamen non idem, ut optime Zaleucus opinatus eſt, omnes eodem de delicto ſentient. Hinc opinionum diſcidium diſsentioque erit, & unus altero aut mitius, aut acerbius multabitur. Quod quantum ſit in recte riteque conſtituta civitate devitandum, norunt

runt omnes, qui haec politica ſtudia vel a limine ſalutarunt. Praeter quam quod cum poenae in legibus ſunt expreſſae, Judex ab invidia liber eſt: qui enim legum ſanctione punitur, nec Judici iraſci poteſt, nec in Judicem culpam refundere ei licet. Sunt itaque poenae in legibus omnino exprimendae. Laude & ob id dignus Zaleucus eſt: quod ſummorum legislatorum exemplo paucas conſtituit leges & poenas in ll. ſolus expreſſit ex iis, qui in optimorum Legislatorum cenſum referuntur. Optimus vero legislator non id intendat oportet, ut corruptae Reipublicae remedia adferat; verum inſtitutis tales cives efficere contendat, qui remediis ac medicaminibus minime egeant. Quod ſapientum ille dux Plato in divina Reipublicae conſtitutione prae oculis habuit. Cumque & corpore, & animo homines laborare ac aegrotari perpenderet, non pharmacorum medicorumque copia, non legibus multis, Juriſperitorumque multitudine hiſce malis obviam eundum arbitratus eſt, ſed in primis ſtuduit, ut robuſtiſſimos cives ſanoſque tum ciborum ſimplicitate, tum Gymnaſticis exercitiis efficeret, juſtos vero bonoſque viros optima inſtitutione, publi-

blicaque diſciplina redderet. Publicae autem hujus Diſciplinae Gymnaſtica, ac muſica partes erant. Gymnaſtica corporis exercitiis laborum patientes, voluptatumque adſpernatores cives effingebat. Pars altera dignior ac utilior muſica erat, quae non remiſſis fractiſque Jonicae, ac Lydicae armoniae modis, ſed quidem Doricae voces, atque accentus, motuſque fortiſſimi viri imitaretur in hoſtium agmina ſtrenue irruentis, mortis pericula a naturae ſtatu minime commoti impavide obeuntis, quodcunque civile negotium fortiter gerentis, coſtanterque quamcumque ferentis fortunam. Iis pariter modis, qui hominem in pace modeſtum, temperatum, ſobrium, juſtumque exprimerent, homines ad juſtitiam, fortitudinem omnemque virtutem effingebat inſtituebatque. Cum igitur ſanos, bonoſque cives iſta Plato educatione efformaſſet, corpus gymnaſticis exercitiis firmaſſet, muſicis vero ſtudiis animum recte inſtituiſſet, nec medicorum, nec legum copiae in ſua Republica deſiderium eſſe adfirmavit. Recta enim inſtitutione cives in officio continebantur; nec ſanum illorum corpus pharmacis egebat. Sanus enim medicam ope-

operam ſpernit; & juſtus lege opus non habet. *Lex enim juſto non eſt poſita, ſed injuſtis*, ut recte Paulus ad Timotheum ait. Cum itaque in corporis victu, ut divinus Plato diſputat, atque in modis muſicis ſimplicitatem civitas minime neglexerit; & corporis ſanitas & animi temperantia in civitate maxime vigebit: nec niſi pauciſſimis legibus opus erit. Earumdem vero rerum intemperantia in civitatem inducta, & medicorum & Juriſperitorum opera plurimum egemus: tum & medicina, ac Juriſprudentia in pretio habentur; iiſque liberi omnes ſtudent. Quod poſtremum civitatis exitium erit.

CAPUT. VIII.

De peſſimo Reipublicae ſtatu, in quo medicina & Juriſprudentia ſummo habentur pretio; & iis omnes dant operam.

MAlae vero ac turpis Diſciplinae, civitatiſque corruptae nullam majorem conjecturam capi poſſe Plato in D. R. ait; quam ſi medicis non modo abjecti homines, ac mechanici ege-

Digitized by Google

ant, ſed ij etiam, qui liberali diſciplina ſe educatos eſſe profitentur. Turpe eſſe ac peſſimae educationis argumentum aſſerit externa compelli juſtitiae vi: totamque terere vitam tum in accuſando, tum in defendendo, inque forenſibus verſutiis, tergiverſationibuſque continuo jactari, cum in utiliori ſocietatis negotio verſari res ſit longe praeſtantior. Turpe etiam indignumque eſſe medicis egere non ſolum ad ea curanda, quae aëris intemperie, aut percuſſione illata ſunt, verum ea etiam, quae ex victus intemperantia procreantur. AEſculapii enim temporibus, ejuſque natorum eos ſolum morbos, quos vel aeris intemperies, vel vulnus intuliſſet, medicina curabat. Atque ii quidem morbi divinitus inflicti credebantur: quod teſtatur ſapientiſſimus poeta Homerus, qui peſtem, qua Achivorum populus interimebatur, ab Apolline fuiſſe immiſſam ait, ejuſque jaculis homines, ac bruta confecta teſtatur in Il. I. Ab eodem vero divino vate nullum alium morbum homines praeter peſtem, ac vulnera Iliacis temporibus afflixiſſe comperimus, quum nec Graeci, nec Trojani aliis umquam ægri morbis dicantur. Huc accedit & argumentum

tum illud ejuſdem divini Philoſophi, quod poculum Patrocli juſſu ſaucio Eurypylo donatum medici non damnarunt, quamvis in eo mixta eſſet Pramnio vino farina, & inſuper attritus caſeus, quae pituitam augent.. Herodicus vero, ut ipſe Plato noſter tradit, medicinae morborum pediſſequae auctor primus fuit. Et Herodici ſectatores novis morbis jam invectis nova impoſuerunt nomina. At AEſculapius, ejuſque nati, non pharmacis, ſed Gymnaſticis exercitiis ad ſanitatem curandam potiſſimum uſi ſunt. Valetudinarios autem minime curabant, ne cives laboribus ineptos inutileſque Reſpublica haberet. Haec omnia ex Platone tranſtulimus. Notatu vero res erit haud indigna, eoſdem tunc temporis corporum, animorumque curatores, eamdemque artem circa medicinam tum corporis, tum animi verſatam. Sic Chiron centaurorum juſtiſſimus apud Orpheum Arg. v. 379. & medicinae, & Juri dicundo operam navare dicitur.

Ος ρα δικασπολιη μελεται και ακευμασι
νȣσων
Παση περικτιονεσσι δικασπολιας αναφαινει.
Qui quidem juſtitiae dat operam, & remediis morborum.

Omnibus vicinis juſtitiam declarat:

Hinc ab hoc centauro, quem quamplurimorum Heroum inſtitutorem fuiſſe perhibet Xenophon, tum medicinae tum Juſtitiae praecepta magnus Pelides accepit.

Quin etiam ſuccos, atque auxiliantia morbis
Gramina, quo nimius ſtaret medicamine ſanguis,
Quid faciat ſomnos, quid biantia vulnera claudat,
Quae ferro cohibenda lues, quae cederet herbis
Edocuit, monituſque ſacrae ſub pectore fixit
Juſtitiae, qua Peliacis dare jura verenda
Gentibus, atque ſuos ſolitus pacare Bimembres.

Superioribus Statius verſibus Heroicorum temporum medicinam perbelle depinxit. Iidem itaque tum medicinae, tum morum, ac Sapientiae praeceptores beatiſſimis illis Heroicis tempeſtatibus erant, ac medicina tum corporis morbos, tum animi pathemata curabat. Quod Homerus, qui fabularum integumentis veterem hiſtoriam ſapientiamque ſubtexuit; ſuboſcu-

re

re in celeberrima nepenthe ſubinnuit. Cum enim animi affectus iidem qui medicinam profiterentur, ethicis lenirent praeceptis ac ſermonibus: exinde fabulatum pharmaco quodam, quod tam multum tum eruditos viros, tum medicorum ſummos exercuit, a quibuſdam dolorem quamvis acerbiſſimum mitigari, aut penitus expelli. Erat itaque, ut ſuperiora repetamus, Medicina cum Juriſprudentia Heroicis illis temporibus conjuncta. Immo univerſa tunc temporis ſapientia non in multos, varioſque diſſita ac diſperſa, ut nunc, erat, ſed unus omnia complectebatur. Temporis vero progreſſu ſcientiarum, ac profeſſionum diſcidia facta, quo ſingulis unuſquiſque majori incumberet cura. Verum hac diſtributione magnitudines ſunt artium deminutae, ut Tullius in III. de or. inquit. Qui & veteres illos Romanos omnem doctrinae ſocietatem, cognitionemque copulaſſe, eoſdemque veteres illos ſapientes & de jure, & de filia in matrimonium collocanda, deque agro colendo reſpondiſſe memoriae tradidit. Sapientiam profecto veteres in cujuſque rei peritia reponebant. Sic hominem notat Heſiodus apud Platonem, quem neque a-

ratorem, nec terrae foſſorem, nec alia ſcientia praeditum Dii fecerunt. At ad noſtra redeamus. Haec igitur beatiſſimorum temporum medicina, quae in victus ratione, ac ſimplicitate potiſſimum erat repoſita: Tanta enim ciborum Heroicis illis temporibus ſimplicitas erat, ut in III. lib. Reip. & Plato noſter ſcribit, ut in Heroum menſis nullius condimenti Homerus meminerit, ſed carnes tantum aſſas ipſis paret, immo nec unquam iis piſces apponat, cum in Helleſponto mari eſſent. Cujus rei non aliam fuiſſe rationem Dio Chryſoſtomus ſcribit in or. II. quam quod piſcium cibus molles efficiat eos, qui iis veſcantur. Quamobrem Menelaum ſolum ciborum penuria errabundum in Aegypto piſces comedentem divinus Vates inducit. Caepa tantum Homericum condimentum fuit: qua de re Xenophon in convivio fuſe diſputat. Heroicis itaque beatiſſimis tempeſtatibus, ut orationem omnem complectamur ac colligamus, cum robuſtiſſimis corporibus erant, optimiſque imbuti moribus, pharmacorum, medicorumque copia, legum, judicum, medicorumque multitudine feliciſſime caruerunt. Ipſique Reges jus dicebant, cujus rei Heſiodus,

dus, ac Homerus duo antiquitatis lumina teſtes omni exceptione majores.

CAPUT IX.

In quo de vano, immo pernicioſo legum cumulo, ac Juriſconſultorum multitudine in civitate iterum fuſiuſque agitur.

OMnis, quae a nobis ſuſcipiatur, diſputatio ſemper ad hoc devolvitur caput, ac principium: in male inſtituta civitate, ubi nec boni mores, nec recta educatio ſtatuta ſit, ſummo cum detrimento leges ferri, quae multa ſtatuant, corrigant, immutent. Recte mihi feciſſe Plato videtur, qui cives illos, qui legibus, ut in rectam ſemitam revocentur, continuo egent, aegrotis illis merito exaequat, qui medicinis repleti, continuiſque curationibus affecti languentem ſemper vitam ducunt. Quae autem ipſe habet divinus Philoſophorum parens de multis, quae in facinora leges feruntur, heic excribere operae pretium duximus. *Sunt enim*, inquit, *hi quidem omnium modo quodam ridiculo gratioſiſſimi, qui leges fe-*

Digitized by Google

runt in his, quae diximus, emendantque ſemper confidentes ſe finem aliquem reperturos circa ea, quae inique in commerciis committuntur, & circa illa, quae ego paulo ante dicebam, ignorantes, quod revera tamquam hydrae capita amputant. Certe nihil aliud faciunt. Equidem ſpeciem hanc inſtitutionum circa leges, ac Reſpublicas arbitror verum conditorem legum neque in male diſpoſita, neque in bene conſtituta civitate curioſe tractare. In illa quidem cum inutilia ſint hujuſmodi inſtituta, neque movent quicquam. In hac autem quia partim quiſque reperiet, partim ſuapte natura ex ſuperioribus ſtudiis proficiſcuntur. Verum in male conſtituta civitate multae leges non modo nil juvant, ſed & multum mali afferunt. Namque cum novis caſibus novae ponuntur leges, ut Caſt. l. III. de Inſt. Reg. ait c. XXIV., ex novarum legum non ſolum verbis, ſed etiam diſpunctiunculis novas extruunt controverſias forenſes viri, qui aucupatione ſyllabarum cunctorum actibus inſidiantur, Servio Sulpitio, qui, ut Tullius ait, tollere controverſias, quam conſtituere malebat, multum diſſimiles. Optime vereque Rabula ille apud Ludovicum Vivem l. VII. *de cauſis corr.*

ar-

artium, cum Carolus VII. Rex Galliae leges novas ferret, ac Nomotheſiam augeret; inquit: *Hem praeſto ſunt lites, & aureorum cumuli*. Hinc, ut idem Ludovicus Vives refert, Pannonia longo temporis ſpatio antiquis incorruptis moribus, & pauciſſimis quibuſdam legibus feliciter vixit; at poſtquam Beatrix Ferdinandi Regis filia Neapoli ſe illuc contuliſſet, inque ejus comitatum Rabulae multi; omnia litibus fervere coeperunt. Leges itaque cum nec omnes ſingulaſque ſpecies complecti queant, ſi multae ferentur, fruſtra ferentur, immo juſtitiae vires enervabunt, liteſque ob multas αντινομιας, variaſque interpretationes progignent: at ſi paucae leges, quae officia, civiumque actiones circa genera deſcribant, rogabuntur; melius feliciuſque bene morata civitas ſe habebit. Sed lectorem inviti longiori jam oratione detinuimus.

Digitized by Google

CAPUT X.

Rerum huc uſque diſputatarum complexio, ac concluſio.

PEr longiorem videmur ſemitam ad id, ad quod iter inſtitueramus, jam deveniſſe. Eadem illa Strabonis verba de Thuriis Romanorum legislationi, Reipublicaeque adaptabimus. Magnam illos inquam conſecutos eſſe gloriam, at Rempublicam vitioſam habuiſſe. Sic de Homero dicere Plato ſolitus, ſummam indicibili, ac divina prorſus humanorum affectuum imitatione gloriam reportaſſe, at Reipublicae haud utilem eſſe. Sic & Romani Nomothetae, ac J. C. infinitis illis juris ſpeciebus perſcrutandis magnam ingenii doctrinaeque vim oſtenderunt, parum tamen Reipublicae bono contulerunt. Sicut igitur Lydias, Phrygiaſque armonias ceteroquin varietate, dulci pulcroque partium concentu admirandas idem noſter Plato e Republica ut noxias eliminat, ſimplices tantum, civitatique utiles retinet; non alia nos ratione multiplicem hanc, variamque legumlationem cum Juriſpru-

riſprudentia, etſi ingenioſiſſimam, e recte conſtituta civitate longe gentium ablegandam cenſemus.

CAPUT XI.

In quo de Nomotheſiae, ac Publicae Diſciplinæ emendatione agitur.

QUoniam vero medico Politicus aequiparatur; ac boni medici eſt primum morbum, ejuſque cauſas cognoſcere, deinde ea pharmaca adhibere, quae aegrotum in priſtinam reſtituant ſanitatem. Gal. II. meth. med. Ita nos poſtquam Rempublicam malis legibus conſtitutam ſua natura aegram infirmamque, atque interitui proximam cognovimus; rationem jam proponamus legumlationis emendandae, Reipublicaeque in priſtinam ſanitatem reddendae. Nec blandis quidem, verum aſperioribus pharmacis opus eſt. Ferro namque, atque igne, cum morbi longe progreſſi, utendum. Boni primum itaque ſerendi mores: praeclara educationis inſtitutioniſque fundamenta jacienda: recti praeficiendi magiſtratus; ſine quibus mortuas vel optimas

mas leges Plato ſcribit; qui bonos magiſtratus bonis legibus anteponit.

Omnium vero magiſtratuum utiliſſimus meo judicio erit ille; quem nomophilacem, id eſt legum cuſtodem Graeci dixerunt. Cujus munus eſt morum, legum, judiciorumque curae praeeſſe: ne corrumpantur mores; ne leges vel malae vel inutiles ferantur; ne latae praetermittantur, ne judicia dolis & technis male ſe habeant, vigilare. Quem magiſtratum in Creta Minos ſapientiſſimus ille Jovis auditor primum inſtituit: verum de eo nos fuſe in noſtra Homerica Θεμιδι. *Ut inſtitutum* ſermonem proſequamur, legum ante omnia reſecanda multitudo: paucae conſtabiliendae, ac generales, quae ſumma publici, privatique juris capita complectantur. Cumque legum duplex officium ſit, vel jubere, vel prohibere (jubet enim quae ex univerſo generalique ſociali civium contractu ſingulos omnesque facere oportet, ut publica ſequatur felicitas, ſocietatis omniſque communionis finis atque ſcopus; cavent vero ne illa fiant, per quae tum ſingulorum, tum publica omnium ſecuritas in diſcrimen adducitur); in ea civitate, in qua recta ſana-

ſanaque educatio, primae, praeclaraeque inſtitutiones, ac boni florent mores, pauca ne fiant cavendum eſt, cum non faciendarum rerum univerſique officii educatio optima norma ſit; quaenam vero ſint facienda, paulo prolixius jubeant leges neceſſe eſt. Genera vero tantum, ut diximus, earum rerum, quae ſocietatem conſervant, quaeve peſſumdant, leges complecti debent; non vero ſpecies, quae infinitae ſunt; quaeque ſi legibus concludantur, infinitis litibus, ut diſſeruimus, viam praebent: numquam enim, aut raro ſpecies in legibus expreſſae, quod ad omnia conveniunt cum iis, quae in judicium adducuntur. Leges itaque, ut huic diſputationi finem tandem imponamus, tales eſſe debent, quae ne mali fiant caveant, bonoſque efficiant; vel malos ad recti juſtique ſemitas revocent atque reducant. Peſſimae Reipublicae inſtitutum eſt malos viros facere; eoſque deinde plectere. Perbelle Thomas Morus Utopia. *Siquidem*, ait, *cum peſſime ſinitis educari, & mores paulatim ab teneris annis corrumpi, puniendos videndo tum demum, cum ea flagitia viri deſignent, quorum ſpem de ſe perpetuam a pueritia uſque praebuerant; quid*

quid aliud quaeſo eſt quod facitis fures, & iidem plectitis? Animadverterat vir politicis in rebus ſummus in uno furto atque latrocinio magnam nomotheſiae partem verſari; atque tot latis legibus, tot poenis ſtatutis, tot millibus hominum necatis nihilominus fures latroneſque graſſari; quamobrem perſpectum habuit fures ſemper futuros, niſi recta educatione; univerſaque civitatis inſtitutione cives tales fiant, qui a latrocinio abhorreant; occaſionem, neceſſitatemque latrocinandi non habeant; nec etiam poſſint, ſi velint. Leges igitur eae ſunt ferendae, ut iterum ſuperiora repetamus, quae bonos, moratoſque cives efficiant, atque a malo prohibeant: *Legum optimarum*, Plato in IX. leguml. inquit, *officium eſſe dicimus, ita animos hominum inſtituere; ut oderint injuſtitiam, juſti vero naturam vel diligant, vel ſaltem non oderint: Sive operibus ſeu verbis legislator id aſſequatur, ſeu voluptate, ſeu dolore, val honore, vel infamia, aut pecunia mulctando, aut donis, aut alio quovis modo id faciat: Quos vero inſanabiles legislator eſſe ſenſerit, ultimo ſupplicio hos afficiat, non ignorans ſatius fore his, qui inſanabiles ſunt, mori, quam vivere.* Quam ſen-

ſententiam brevius, elegantiuſque Jureconſultus expreſſit, *Bonos non ſolum metu paenarum, ſed etiam praemiorum exhortatione efficere cupientes*. Xenophon, atque Iſocrates eandem ſimilemque Platonicae de legum fine ferme orationem habent; ſed ne lectori taedio ſimus; heic nihil exſcribimus. Bonae igitur leges circa educationem, inſtitutionemque civium ſanciant oportet, tum circa nuptias, quae educationis ſunt principia atque fontes, omniſque ſocietatis, ac coetus origines. Puerorum, adultorum, virorumque diſciplinam, ſtudia, exercitationes officia, profeſſiones deſcribant; totiuſque civitatis ordinem ſtatuant. Univerſam diſciplinam Plato in muſicis, ac gymnaſticis, ut ſoepe dictum, repoſuit; ut muſicis modis, ac legibus mutatis, publicam diſciplinam politiamque mutari aſſeruerit. At Tullius publicam civitatis diſciplinam a Principum virorum victu, atque moribus, ad quorum exemplar ceteri ſe componunt, mutari, regique putavit. Ego vero noſtrorum temporum vices atque fata ſedulo expendens, tribus de cauſis mores pendere, mutari, regi exiſtimo; noſtrorum Regum aula, Theatris, exterorum commercio. Ac revera in noſtro Neapolitano

Digitized by Google

no Regno cum ſceptrum Gallus tenuit, Gallorum; cum Germanus, Germanorum; cum Hiſpanus, Hiſpanorum mores univerſa imitabatur ſuſcipiebatque civitas. Ad Regis enim exemplum totus orbis componitur. Jam vero Theatra nobilitatis, totiusque populi ſchola ac Gymnaſia apud nos ſunt; e quibus indocta multitudo eruditur, moreſque ſuos deſumit. Nemo porro denegabit muſicam etiam plurimum apud nos ad effingendos mores conferre: quae triplex eſt: vel enim in Theatris, vel in ſacris Templis, vel in privatis parietibus, ſive Academiis tractatur. Quae in Academiis agitur, Theatrali ſimilis: eadem enim oratio muſicis modis ſubjecta eſt, quae in Theatris: ſacra vero muſica nil aliud peculiarius habet; quam, quod ſacra verba occinuntur. Cum autem Theatra & vitiorum & ineptiarum ſint ſcholae; muſica vero tam mollis ac corrupta; quinam nobilium, infimaeque plebis, quae non in aliis Gymnaſiis, quam in Theatris, ut diximus, eruditur, mores eſſe debeant? Ab exterorum commercio, quod Spartanis, ceteriſque populis, qui intactam veterem diſciplinam, antiquoſque probos mores conſervare voluerunt, magnopere vetitum

titum prohibitumque fuit; civitatis mores immutantur ac pervertuntur. Atque nos iniqua rerum ſorte eo devenimus, ut Gallorum, ceterorumque exterorum ſimiae ſimus: quamobrem & Italica noſtra Poeſis poſt Graecam prima, quaeque Latinae majeſtate, atque virili venuſtate nihil cedit, ſimul cum robuſta illa, ſeria, ſobriaque cogitandi ratione tum ex Gallicae linguae imitatione, tum ex aliorum gentium ſcriptorum lectione corrupta jam ac penitus peſſumdata eſt, qui inveriſimilibus rerum portentis delirae imaginationi tantum gratis, vel fucato, fractoque cogitandi genere Gothicae Architecturae quam ſimillimmo, quae in tot tamque minutas parvaſque partes diſſecta eſt, ut nihil integrum, ſanum ſobriumque habeat; ſibi nomen quaeſiverunt. Ad quorum imitationem noſtrorum hominum mores componantur atque efformentur, hactenus diſputavimus. Atque circa haec publicae diſciplinae capita leges multa ſtatuere debent: tum circa ſcenas, ac muſicam ſcenae partem; tum circa aulicorum mores, nobiliumque conventus; tum circa exterorum commercium; non circa lites forenſeſque quaeſtiones, quae novis legibus

gibus augentur magis. Circa publicam igitur eruditionem educationemque legislator potiſſimum pleraque ſanciat. Quae nunc omnia levius pertractata; alias fortaſſis fuſius. Non enim alia de cauſa haec omnis diſputatio ſuſcepta eſt, quam ut de tot Romanorum legibus, tum de aliorum populorum nomotheſia; harum rerum, quas breviter diſſeruimus, face quivis judicium proferre poſſit. Sed jam noſtri ſingularis libri II. huic parti finem imponamus.

Finis Secundae Partis.

PARS

PARS III.

De Juriſprudentia.

CAPUT I.

De Formularia in judicio agendi ratione.

JAm tertiam ultimamque partem aggredimur, in qua de Juriſprudentia, legumque interpretatione agemus. Atque antiquiſſimis illis temporibus duo erant Juriſprudentiae capita, Formularum ſcientia, ac legum interpretatio. Formularia agendi ratio nonnullis de cauſis in forum eſt invecta. Quarum una, ac praecipua nobilium calliditas fuit, apud quos initio juris ars conſedebat. Hi namque in plebem imperium ſibi vindicare, eamque ſubjectam, ſuaequae voluntati devinctam habere arbitrati ſunt, ſi a judiciis illa arceretur, eaque ab ſua voluntate penderent. Hinc formularum, actionumque rationem divulgare maximopere devitabant. Hinc ipſi juris legumque arbitri, judiciorumque magiſtri. Hac eadem ratione & auſpiciorum capiendorum jus, omnemque religionem ſibi Patres antiquitus reſer-

Digitized by Google

varunt. Quod multum Tullius laudat: Penes ſaniorem enim civitatis partem hoc pacto comitiorum, totiuſque Reipublicae moderationem fuiſſe repoſitam inquit. Religio igitur, ac Juriſprudentia veluti moderamina, atque habenae quaedam, ut ita dicam, habebantur, quibus in officio plebs contineretur. Erant praeterea hae duae facultates tum juris interpretandi, tum religionis explicandae, ſacrorumque caerimonias edendi conjunctae ac copulatae; ut jus civile, teſte V. Maximo, per multa ſecula inter ſacra, caerimoniaſque Deorum immortalium abditum, ſoliſque Pontificibus notum fuerit. Quamobrem Tullius antiquorum morum vindex atque adſertor in l. II. de l. l. iiſdem. Pontificibus utrumque munus tum de jure reſpondendi, tum religionum conſtituendarum defert. *Plures autem Deorum omnium, ſinguli ſingulorum Pontifices ſunto, qui & reſpondendi juris, & conſtituendarum religionum facultatem afferunto*. Quae Tulli verba, cum mendoſe vulgo legantur, nos ita reſtituta dedimus. Apud Graecorum vero vetuſtiſſimos penes Sacerdotes quoque juris reſpondendi facultatem fuiſſe repoſitam in noſtra Homerica θεμιδι docebimus: leges enim

enim majori venerationi haberi cultiores gentes opinatae ſunt, ſi religionis munirentur auctoritate, & Juris reſponſa ab iiſdem ederentur, qui Deorum oracula, voluntatemque populis aperire credebantur. Verum hiſce omiſſis, quae ad rem minus pertinent, de iſta formularia agendi ratione ſententiam noſtram aperiamus. Judiciarias actionum formulas popularis Reipublicae conſtitutio efflagitare videtur. Eget namque indocta civium multitudo ſtatutis actionum formulis, ut certam habeat rationem, ex qua jus ſuum in judicio proponat. Hinc formularia agendi ratione ſublata, magnum litibus aditum fuiſſe patefactum non ignorat, quiſquis in Romana Hiſtoria hoſpes non ſit.

CAPUT II.

De Juris interpretatione.

Quam vero interpretationem leges in bene recteque conſtituta Republica deſiderent, nunc videre operae pretium erit. Bonis namque legibus conſtitutis, ut recte riteque interpretentur vigilandum eſt. Ac duplex ſane legum interpretatio eſt,

uti omnibus notiſſimum, Literalis, ac Philoſophica. Literalem legum interpretationem in populari praeſertim Reipublicae conſtitutione recipiendam eſſe nos, doctioribus Politicis nobiſcum ſentientibus, exiſtimamus. Etſi enim Literalis, ac Grammatica juris interpretatio quandoque iniqua ac nimis ſevera ſit, Praetor tamen aequitate ſua legis duritiem moderatur. Philoſophica vero interpretatio quamvis juſti aequique naturam pandat, fonteſque referet; magnis tamen litibus, argutiſque JCtorum cavillationibus viam aperit. Nulla lex eſt, cujus, ſi mentem interpretari velis, in utramque partem ſententiam trahere nequeas: Ex quo tot, tantaeque in foro lites, conflictus, forenſiumque digladiationes. Literalis contra legum interpretatio infinitas reſecat lites, Forenſiumque familiam Reipublicae, ſi non noxiam, parum tamen utilem minuit. Nec alia de cauſa Romana Juriſprudentia adeq excrevit, ut nulla alia de arte tam late, fuſeque ſcriptum ſit, quam quod philoſophicae interpretationi juſtius aequo Jureconſulti ſtuduerunt; hinc & ingentia illa commentariorum volumina conſcripſerunt. Laudanda eſt igitur in Democra-

cratico civitatis ſtatu literalis legum interpretatio. Hac enim ratione & legum ſimplicitas minime pervertetur, & Juris aequalitas maxime ſervabitur. Haec vero interpretatio in Monarchico Regni ſtatu, in quo poenarum inaequalitas ſtatuta eſt, aegre a nobilibus viris fertur. Ipſi enim praeclaram illam juris aequalitatem execrantur, odioque habent. Quamobrem apud Livium Juvenes nobiles ſcriptis legibus, fixo certoque jure vivere recuſant, ac Principis voluntate potius pro lege uti exoptant. Legem namque ſurdam, duram, inexorabilemque rem praedicant, cum contra Principis voluntatem ſibi amicam perſaepe experiantur viri Primores.

CAPUT III.

In quo, an Jureconſ. in recte conſtituta civitate ſint recipiendi, fuſe diſputatur.

NUllus in civitate locus Jureconſ. ordini apud Graecos fuit. Apud Tullium l. I. de Orat. c. XLV. Craſſus ait: *Itaque, ut apud Graecos infimi homines mercedula adducti, miniſtros ſe praebent in judi-*

judiciis oratoribus ii, qui apud illos πραγματικοὶ vocantur, ſic in noſtra civitate contra ampliſſimus quiſque, & clariſſimus vir, ut ille, qui propter hanc juris civilis ſcientiam ſic appellatus a ſummo Poeta eſt,

Egregie cordatus homo, catus AEliu' Sextus.

In eodem vero lib. Antonius etſi Jureconſ. auctoritati detrahat; ſapientius tamen Graecis feciſſe Romanos ait, *quod clariſſimorum hominum auctoritate & jura tecta eſſe voluerunt*. Penes oratores legum interpretandi munus apud Graecos repoſitum fuit. Quiſquis enim cauſam dicebat, legis interpretationem ſuae cauſae favori adaptare atque adcommodare contendebat. Apud Romanos vero peculiare Prudentum genus erat, a quo reſponſa de jure edebantur, quae judicibus obtrudebant oratores. Erant autem Prudentes iſti publicae, privataeque rei doctrina conſpicui: naturalis philoſophiae, hiſtoriae, meliorisque eruditionis, veterumque Rerumpublicarum ac politiarum exemplis, ac lumine juſtum, aut iniquum, penitioreſque juris latebras reſerabant: cumque cauſae ſervire minime deberent, ut oratori contingebat, nec ejus commodum undequaque

con-

conſectari, nullo in tranſverſum agebantur adfectu. Graeci oratores contra, quo judices in ſuam traherent ſententiam, legis ſenſum miſere contorquebant, quo vellent, orationis vi ducentes. Quo factum eſt, ut deterius hac una parte civiles, ac judiciariae res apud Graecos ſe habuerint, quam apud Romanos. Recipiendum eſt igitur in civitate, quam recte inſtitutam aſſerimus, iſtud Prudentum genus, quale apud Romanos fuit, humanarum rerum peritia ac doctrina ornatum, quod multum civitati utilitatis adferet. Cum enim genus tantum optimus Legislator complectatur, bonorum prudentumque virorum arbitratu, judicioque ſingulae ſpecies definiendae, interpretandaeque erunt. Atque, ut Platoni neceſſarium viſum eſt, ut philoſophi in civitate ſint, qui optimis conſiliis Reipublicae navem in civilibus undis regant, ut de publica felicitate conclamandum eſſe adfirmarit, ſi illorum in Republica opera deſideretur; ita nos Prudentum genus hoc, qui civiles componant quaeſtiones, neceſſarium, nedum utile, exiſtimamus. Verum ſicut ille mortalium ſapientiſſimus haud Sophiſtas in ſua civitate recepit, ſed illos, qui natura philoſophica

prae-

praediti eſſent, quam longiori deſcribit oratione, ita non captioſos Juriſprudentes, at civiles homines, veroſque philoſophos juris interpretes eſſe volumus.

CAPUT IV.

De Romanis Juriſconſ.

Atque omnium primum non ii nos ſumus, qui praeclarae Romanorum Iɛtorum famae, ac nomini oratione noſtra detractum quicquam velimus. Siquidem ita comparatum eſt, ut, quos jam Doctorum opinio, ac conſenſus veluti Immortalitati conſecravit, de eorum exiſtimatione quicquam detrahi cujuſcunque vel eloquentiſſimi, ac eruditiſſimi oratione impoſſibile ſit. Quin immo nos Iɛtorum libros propter robuſtam illam, ac prorſus divinam cogitandi, genuinam ac virilem ſcribendi rationem, aureas inſuper optimaſque Juris regulas tamquam pretioſora antiquitatis monumenta, ac gazas quavis gemma cariores venerati ſumus, ac ſemper coluimus: Quod tamen de eorum arte ſentimus, paullo liberius aperiemus. Non ſecus ac Philoſophia in ſophiſticam apud Graecos degeneravit, ita

&

& Juriſprudentia Romanorum philoſophia captioſa, atque aucupatoria ars evaſit. Notiſſimae ſunt Tullii querelae hac de re, quae tamen utpote ab oratore prolatae, ſuſpectae habentur. Tot certe definitiones, ac diviſiones injuſtitiae, litibuſque viam ſtraverunt. Nimis porro juris ſubtilitatibus, ac cavillationibus Romani Icti, recentiores praeſertim, ſtuduerunt; ſimplicitatemque adeo legibus, juſtitiaeque amicam ut plurimum neglexerunt; tantaque commentariorum, reſponſorumque copia jus incertum effecerunt, multiſque tenebris offuderunt. Nihil de praeſenti Romanae Juriſprudentiae ſtatu adjungimus, poſtquam, ut gloſsographos, vetereſque indefeſſos illos legum commentatores praeteream, Gotofredus, Hothomannus, Duarenus, ipſeque Cujacius redivivus Papinianus, aliique innumeri leges tantis mactarunt commentariis, veteribuſque nova adjecerunt adeo longa, ut inter commentariorum multitudinem, ſtrepituſque leges ſileant, ac deliteſcant.

CA-

CAPUT V.

Iterum de Rom. Iĉtis agitur

PRiſci itaque ſapientiſſimi illi, integerrimique Jure Conſ. qui Juris reſponſa edebant, civilis, naturaliſque doĉtrinae cognitione praefulgentes, Chryſippo melius quid juſtum, injuſtumque ſit quacunque in quaeſtione, quae in lucem exiret, definierunt. At iis docendi ars maxime defuit. Ex peculiari enim ſpecierum inveſtigatione definitioneque, univerſales generaleſque juris regulas minime eruerunt, tradideruntve. Juriſque artem vel incuria, vel imperitia minime efformarunt. Hinc nullus, ſi magnum illum Sulpitium a Tullio laudatum excipias, cujus tamen nihil ad nos pervenit, juſta artis regulas commentaria conſcripſit, vel hanc ipſam Juris artem tradidit; peculiareſque ſemper ſpecies, quas infinitas vel uſus, vel excogitatio novas ſemper profert, poſuerunt, ac quid in his juris eſſet, tradiderunt. Hinc, ſi magna parvis; ſi doĉti homunciis de trivio conferri poſſunt, non diſſimili prorſus ratione Iĉti egerunt, ac

Ca-

Caſuiſtae faciunt, qui moralis Diſciplinae ignoratione infinitos ferme caſus tractant, effingunt, definiunt, novoſque caſus ſemper, qui proferri poſſunt, ignorant. Videtis itaque ex hiſce, utrum ſapienter peculiares Ictorum ſpecies legis vim apud Romanorum habuerint. Cum enim raro, aut numquam accidat, ut & alibi dictum eſt, ut eaedem, ac quoad omnia ſimiles in iſta humarum rerum ſerie ſpecies eveniant, quum ex aliqua περιστάσει, proque temporum vice varient ac diſcrepent; ad humanos uſus protrahi, ac aptari nequeunt; hinc & vanae, immo pernicioſae ſunt. Leges enim generales regulae eſſe debent, quae genera tantum complectantur, ut non ſemel diſputavimus. Ars itaque veteribus illis Sapientibus maxime defuit. Verum ne ob hoc ipſum cum tota Juriſperitorum familia ſolus ego manus conferam; Tullium Juriſprudentiae non ignarum, ſummumque philoſophum in auxilium mihi adſciſcam atque adjungam. Is quidem in II. de ll. Jureconſ. notat, quod quae in una cognitione eſſent repoſita, in infinita diſcerpſerunt. Quod duplici de cauſa ab ipſis factitatum ait vel erroris objiciendi cauſa, quo plura, ac difficiliora ſcire viderentur, vel

vel quod ſimilius veri eſt, ignoratione docendi. Ita Tullius de aetatis ſuae Jureconſ. At, ut ceterae bonae artes, labente Romanae Reipublicae aetate, ſic Juriſprudentia quoque in deterius abiit. Etſi enim Jureconſ. nonnulli fuerint, qui, libertate extincta, Romanum ingenium, animumque conſervarunt, bonas etiam, vetereſque literas, quibus antiqui Icti erant perpoliti, ex antiquitate eruerunt, atque ad priſtina ſecula mente convolarunt, ut inter Servios, Scaevolas, alioſque libera illa cogitandi ratione, integerrimaque eloquendi puritate, atque facundia informarentur; bona tamen illorum pars in antiqua lingua, literiſque parum verſata, & praeſenti temporum, aetatiſque vice, praeſenti ſervitutis, cujus jugum adoleſcente aetate ferre conſueverant, imagine depreſſa, nihil magnum egregiumque praeſtare poterat: Cum enim ab Imperatore ad illam dignitatem evecti eſſent, ne ingrati viderentur, ac ne Imperatoris indignationem incurrerent, aulicos mores effingendos ſibi duxerunt: eorum opera, quas leges volebant, ferre Imperatores poterant. Atque haec, quae de Romanis Ictis, qui doctrinae ſublimitate aeter-

aeternitati nomen ſuum conſecrarunt, at Reipublicae minime profuerunt, differenda habuimus.

CAPUT VI.

De Juriſprudentiae emendatione.

Reliquum nunc eſt, ut ſicut de Nomotheſiae emendatione ſupra, pauca nunc de moderanda juris arte attingamus. De Juriſprudentia in ordinem redigenda, deque hac juris arte reconcinnanda veterum, recentiorumque nonnulli cogitarunt; opus tamen nemo abſolvit. Apud Tullium de orat. l. I. optimam rationem, methodumque Craſſus exhibet, qua in reƈtam formam haec juris ars redigi poſſit, ſi ad unum nempe caput, generalemque finem peculiares ſpecies omnes referantur: *Sit ergo*, Craſſus inquit, *in jure civili finis hic legitimae, atque uſitatae in rebus, cauſiſque civium, aequabilitatis conſervatio. Tum ſunt notanda genera, & ad certum numerum, paucitatemque revocanda. Genus autem eſt id, quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem differentes, duas aut plures compleƈtitur* par-

Digitized by Google

partes. Partes autem ſunt, quae generibus iis, ex quibus emanant, ſubjiciuntur. Omniaque; quae ſunt vel generum, vel partium nomina, definitionibus quam vim habeant, eſt exprimendum. Eſt enim definitio earum rerum quae ſunt ejus rei propriae, quam definire volumus, brevis, & circumſcripta quaedam explicatio. Hiſce ego rebus exempla adjungerem, niſi apud quos haec haberetur oratio, cernerem: nunc complectar, quod propoſui brevi. Si enim aut mihi facere licuerit, quod jam diu cogito; aut alius quiſpiam, aut me impedito occuparit; aut mortuo effecerit, ut primum omne jus civile in genera digerat, quae perpauca ſunt; deinde eorum generum quaſi quaedam membra diſpertiat; tum propriam cujuſque vim definitione declaret, perfectam artem juris civilis habebitis, magis magnam, atque uberem, quam difficilem atque obſcuram. Haec, quae in Craſſi perſona Tullius in lib. de orat. memoriae prodidit, ex integro illo libro, quem, teſte Gellio, de Jure civili in artem redigendo conſcripſit, nobis remanent. opus vero quamquam non abſolvit; nobis viam ſatis amplam patefecit: in lib. III. de ll. exemplum ipſe praebet, quo infinitas, variaſ-

riaſque quaeſtiunculas ad unum praecipuumque caput redigere poſſimus. Species ac quaeſtiones omnes, quae de Sacris ab ICtis agitabantur, ad unum illud principium Tullius reducit, quod Romani Sacris pecuniam, haereditatemque alligatam voluerunt. Quod qui probe principium noverit, omnes quaeſtiunculas pede ſtans in uno definiet. Principia igitur, ad quae ſpecies referentur omnes, erunt inveſtiganda. Atque principia ea ſunt, ut Ariſtoteles philoſophorum acutiſſimus ait, ex quibus aliquid manat, atque dignoſcitur. En juris concinnandi, in ordinemque redigendi praeclara ratio, atque optima methodus. Utinam Princeps noſter Feliciſſimus novus tamquam Juſtinianus prudentum philoſophorumque noſtrae aetatis eximiorum opera utatur, ut Juriſprudentia omnis tum vetus, tum recentior in ordinem redigatur, ac legum lationem etiam emendet, ut aurea ac beata, ipſo imperante, aetas redeat, qua non ſub Auguſto, nec ſub alio Principe, niſi ſub Minoe, Lycurgo, atque Solone populis frui vere licuit.

Atque haec ſunt, quae de propoſita re, breviter diſputavimus. Ea vero, quae

in hac ſcribendi feſtinatione oculum noſtrum fugerunt, vel brevitatis ſtudio ſunt praetermiſſa, cum laborum longius interſtitium erit, otioque paulo liberiori uti licebit, majori uberiorique dicendi vena diſſerenda nobis erunt. In praeſentia haec ſint ſatis.

Totus explicitus eſt liber.

Ου πολλȣς νομȣς, αλλα πολεως ευταξιαν ϗ δημοσιαν παιδειαν οριζει φρονιμος Νομοθετης.

Digitized by Google

A D D E N D A.

PAuca quaedam, quae libro typis jam dato praetermiſſa animadvertimus, quaeque jam ſchedis adnotata habebamus, huc in libri calcem contulimus: ea pro tua humanitate, bone lector, in locum ſuum confer, & vale.

Ad p. 19. Subolum muſicum inſtrumentum cum Sabulo confudimus; quod apud Macrobium reperitur. Ac ea de ratione ſubolum chordarum inſtrumentum cum ſummo viro, qui Apulejum teſtem habet, interpretatus ſum. Re tamen ſerius perpenſa Subolum, ſive ſabulum Tubicinum, non plectro pſallentium inſtrumentum fuiſſe exiſtimo. Id enim Varro innuit: *Subolo dictus, quod ita dicunt Tubicine Tuſci* atque Feſtus. *Subulo Tuſce Tibicen dicitur. Atque Ennius: Subulo quondam marinas propter aſſabat aquas.* Subolum itaque Tibicinum inſtrumentum tubae ſimile. Atque ſatis notum eſt ad Tyrrenos Tubarum inventionem referri. Apud Apulejum vero 11. Flor. Sabulum haud certe legendum, ſed pulſabulum, quod πληκτρον latine perbelle reddit. De Batylli ſtatua Apulejus verba facit, qui citharaedum exprimebat. *Dexteræ pſallentis geſtu pulſabulum citharæ admovet*. Falſus itaque vir ſummus eſt, qui Sabulum chordatum inſtrumentum ex hoc loco evincere contendit.

Ad p. 20 l. 1. Non ſolum cultiores artes, ſed & viliores ab Etruria Romam venerunt. Sic ad ſutoriam artem quaedam ſpectantia ab Etruſcis Romani acceperunt: Quod Servius teſtatur ad illud Poetæ Æn. VIII. verſ. 958.

Et Tyrrena pedum circumdat vincula plantis.

ubi Tyrrena vincula explicat *Tuſca calceamenta*.

Ad p. 20. corruptum Varronis locum emendavimus, at cum librarii culpa emendatio, quae libri margini erat adſcripta, praetermiſſa fuerit; lectionem noſtram heic proferamus, quae hæc eſt: *Gaunacum, multaque ejus generis ſtragula, & amphimallon Græca*. Gaunacum tamen peregrinum verbum, non fuit Græcum, ut Varroni viſum. Genus enim ſtraguli hoc orientale, & proprie Babylonicum fuit. Quod & Arrianus l. VI. adfirmavit & Pollux l. VIII. c. 13. Βαβυλωνιων, inquit, δ' εστιν ο καυνακης. Quibus adde Æliani teſtimonium e l. XVII. c.

17. Sed & Perſarum caunacen. fuiſſe Pollux Ariſtophanis auctoritate aſſerit, ην των δε καυνακης περσων. Εν γαρ ταις σφηξιν Αριστοφανης λεγει. *Immo & Caunaces Perſarum eſt, Ariſtophanes in veſpis ait.*

Οι μεν καλουσι περσιδα, οι δε καυνάκην,

Hi quidem vocant Perſida, illi caunacen.

Quod vero quibuſdam negotium heic faceſſit, qua nimirum ratione & Perſis, & Babyloniis Gaunacum tribuerit Pollux, nos minime moratur. Namque & Perſis, & Babyloniis Gaunacum commune eſſe potuit; ſeu potius a Babyloniis illud Perſae habuerunt. Quare pro Καυνακη aliam ſubſtituendam vocem minime cenſemus. Id vero extra dubitationis aleam poſitum eſt nomen orientale eſſe. Atque a Phœnicia Radice גנן *obtexit*, ex quo & מגנה maganah obtegumentum, factum τo Gaunacum dijudico. Cum hæc ſcripſiſſem; amicum omnium praeſtantiſſimum, nec umquam ſatis laudatum Joſephum Glinnium Hotomanum, quo tempore apud patrios Lares, ſuoſque Acherontinos animi cauſa commorabatur, litteris compellare placuit, ut quae de iſto non mediocriter adfecto Varronis loco ſentiret, nobis ſignificaret. Binas ipſe nobis diverſo tempore epiſtolas dedit quam doctas, deus bone, quam reconditа eruditione refertiſſimas! quam altera cum tota circa Varronis locum verſetur, altera & de loco Varronis multa habeat, & plura contineat, quae alio ſpectant, hanc cum Homerica Θεμιδι edemus; illam in hujus libri calce dare adlibuit; nec dubito, me plenam hujus epiſtolae editione gratiam apud doctiores initurum; præſertim quod ea mole alioquin haud magna egregii juvenis lucubratione melioris eruditionis decus ac nomen auctum iri ſpes certa me teneat.

Ad eamd. p. Non ſolum Regiae leges, quae nunc extant, veterum Rom. Regum manu haud exaratae videntur, verum etiam quamplurimas Decemvirales eo ſtili nitore ſcriptas accepimus, ut aliam, quam Decemvirorum referant lingam: eas e XII. fuiſſe a ſcriptoribus tranſlatas extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Verum non alia ratione factum eſt, ut diverſa veluti veſte, diverſaque lingua indutas ad nos pervenerint, quam quod illarum verba veteres non adcurate, ac religioſe citarunt: ſed tantum ſenſum ſuis propriis verbis exprimere ſat habuerunt.

Quo

Quo etiam factum, quod jam viri docti in re critica animadverterunt, ut plurima veterum loca diverſe citata apud auctores antiquos reperiantur, ac in αὐτογράφοις eorum operibus extant. Quod vero nos de decemviralibus legibus aſſeruimus, id ex ipſis confirmari poteſt. Paucae enim leges e XII. tab. adeo obſcurae, ac inexplicabiles adhuc remanent, ſi non, quoad omnia, maximam tamen partem; genuinae, ut etſi infinitis eruditorum commentariis ac divinationibus explicatae fuerint; adhuc tamen in tenebris verſentur, nec plus nunc quam ante intelligantur: quibuſcum ſi ceteras conferas; de harum νοήσει ſtatim tibi dubium in mentem veniet. Quid exempli ergo lex iſta inenodabilis, niſi criticorum hariolationes pro veritate recipere velis, *nexo ſoluto Forti ſanati ſiremps Jovs eſtod* cum tot aliis nitido, elegantique ſermone conſcriptis comune habet? Conlationem iſtam facere quivis poterit, cui vel parum eruditionis; multum otii erit: Ut vete exinde ſequatur pauciſſimas duodecim tab. leges nunc extare, de quibus in totum dubitari nequeat. Qui autem id factum ſit, alia nunc ratione declarabo. Namque ſi verum id eſt, quod apud Livium legimus anno U. C. CCCLXVIII. incendio Gallico Tabulas haſce igne cum urbe conſumtas, poſteaque fragmentis undique conquiſitis reſtitutas; ecquiſnam inficias ibit paucas, quae vel memoria, vel alio monumento conſervabantur, decemvirorum verbis iterum fuiſſe exaratas, majoris vero partis ſententiam ſolum fuiſſe reſtitutam?

Ad p. 56. Legem, quæ de parentum cultu eſt, ex legibus Romuli, Numae, Servii Feſtus ob id citat, quia leges iſtæ in unum collatæ corpus erant: Quamobrem ex illorum Regum legibus, quæ in unum librum forte quis contulerat, hanc nomine auctoris prætermiſſo Feſtus indiſtincte producit. Papiriana fortaſſe collectio illa fuit. Papirium vero puto minime Regiarum legum verba, ſed ſententiam tantum ſuo commentario exhibuiſſe. Quod tum fragmento illo Papiriani juris a Macrobio ſat. III. c. XI. conſervato, tum l. II. D. *de mort. inf.* probatur. Quæ praeterea cauſa eſt, cur veras, ac genuinas Regum leges minime habeamus.

Ad p. 68. Decemviralem legem de talione ita emendavimus, *Sei queis membrum rupſit e facto zalio eſto*: Me tamen forte perperam eam reſtituiſſe, qui rem haud intus ac in

 cute

cute noverit, opinabitur: eo nempe quod Decemvirali lege paciſcendi de injuria facultas data fuerit, ut ex ipſo Gellii c. 1. l. xx. diſerte elucet. Emendationem noſtram minime id elevat. Gellius enim paciſcendi facultatem ex l. XII. ſed non ex hac noſtra fuiſſe teſtatur. Forte & aliud legis membrum, quod intercidit, erat, quo de redimenda talione ſancitum. Non ob eam ſane cauſam, quod Decemvirali lege paciſcendi facultatem fuiſſe datam ſcimus; legis verbis vis eſt inferenda, ut id exhibeant, quod in ea fuiſſe ſancitum alioquin certum; ſed fortaſſis ejus jacturam temporis injuria fecimus. Quid autem veroſimilius quam *ſ* in *p* immutatam, proque *facto* ſcriptum *pacto*?

Ad p.82. Legiſlator haud uni civitatis membro proſpicere debet. Ciceronem audite e l. 1. de off. *Qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem, atque diſcordiam, ex quo evenit, ut alii populares, alii ſtudioſi optimi cujusque videantur, pauci univerſorum &c.*

Ad p 86. Numæ legem, quam emendavimus, ita concinniorem heic exhibemus. *Quojus auſpicio claſſe procincta opeima ſpolia capiuntur, ei darier oporteto. Quei prima cepit aeris ccc dato. Quei ſecunda cepit in Mortis aſam endocampo ſolitaurilia utra voluerit cædito, ipſei quei ceperit cc ex aere dato. Tertia quei ceperit ſpolia Jano Quirino agnum marem cædito, ipſei quei ceperit c. ex aere dato.*

Ad p.94. Adeo verum eſt Praetores omni cura, operaque devitaſſe, ne jus novum ſtatuere viderentur, quod in capite de Jure Honorario ſcripſimus, ut nomina juris etiam immutarint atque inverterint; reſque circumſcriptionibus, verborumque circuitu deſignarint, ne aperta, ac uſitata vocabula plebis oculos in ſe raperent. Sic *in bonorum poſſeſſionem immittere* dixerunt, Hereditatem deferre; &, alia huic ſimilia. Quod nobis argumentum indicavit erudititiſſimus amicus noſter Joſephus Glinnius, quicum nos edicti Prætoris explicationem communicavimus.

Ad p. 101. affectiſſimum Tullii locum e III. lib. de ll. emendavimus, illo vero iterum inſpecto, diligentiuſque perpenſo alia nobis conjectura in mentem venit, quae priori præferenda videtur. Verum, ut de illa, ita & de hac penes aequos harum literarum cenſores judicium eſto. Hæc ſunt Tullii verba, prout in veteribus libris, ac mſſ. le-

gun-

Digitized by Google

guntur: *Nondum nitis ſeditioſis Tribunis Plebis negotialis quidem admirandum tantum majores in poſterum providiſſe*. A vero, mea ſententia, non longe aberrabis, ſi ita leges: *Nondum habitis* comitiis *ſeditioſis a Tribunis Plebis, nec odia his quidem* explentibus *admirandum tantum majores in poſterum providiſſe*. Pro *habitis* :.. *itis* ſcriptum opinor; & deinde *nitis* . *comitiis* atque *explentibus*, quae omiſſa erant, repoſuimus. pro *Negotialis* vero *nec odia his* legimus. Vel ſi id non placet; legito *nec gerentibus comitia ſervilibus armis*. Hanc quidem poſteriorem lectionem mire confirmant, quæ ſequuntur Tullii verba de comitiis armis ſervilibus geſtis per Clodium Tribunum Plebis, quibus ejectus in exilium fuit. Verba non exſcribimus; cum qui cupit, apud Tullium illa legere queat. Quoſdam vero miror legiſſe *nondum viſis*. Quanam enim ſignificatione id intelligunt? Si nondum creatis interpretantur, ne ſe hiſtoriæ ignaros produnt; cum multos annos ante Decemviros Tribuni fuerint creati; certe *nondum viſis* intelligunt, cum non adhuc viſi eſſent ſeditioſi Tribuni, quod vernacula lingua *non ancor vedutiſi*, dicitur. Nec minus aliae lectiones *initis*, *inventiſque* rejiciendæ ſunt.

Ad p.136. Quintilianus eoſdem apud Græcos πραγματικοὺς fuiſſe ac Jureconſ. apud Romanos adfirmat. *Neque ego ſum noſtri moris ignarus, oblituſve eorum, qui velut ad arculas ſedent; & tela agentibus ſubminiſtrant, neque idem quoque Græcos neſcio factitaſſe; unde nomen iis Pragmaticorum datum eſt:* Verum Græcorum Pragmatici erant oratorum mercenarii miniſtri, ut e Tullii loco, quem e II. de orat. in parte noſtri lib.III. adtulimus, apparet, qui forenſes tractabant res, ut ii ſunt, quos *Procuratores* vulgo dicimus, nec Jus interpretabantur.

JOSEPHI GLINNII HOTOMANI
ACHERONTINI
AD FRANCISCUM MARIUM PAGANUM
EPISTOLA.

IN eo totus eram, mi optime Mari, ut celebrem Concilii Chalcedonenſis Canonem VI. luce, qua adhuc indiget, donarem; cum ecce jucundiſſime interpellor a te meam de loco quodam Varronis ſententiam requirente. Vix dici queat, quam magno voluptatis ſenſu adficiar, quoties quaenam mihi de re aliqua antiqua, deque locis Auctorum perperam vulgo ſive intellectis, ſive emendatis, aut nullius quidem medicinæ adjutis, nullius opera expoſitis, manifeſto tamen conruptis obſcuriſque opinio inſideat, vis tibi declarem. Quidni me præter cetera delectet tanta tua iis de rebus ſollicitudo, quas ab hominibus hujus aevi tam male tanto ſuo malo haberi cernimus? de quibus quid ſentiendum ſit, tu vides, & quibus ſidus haut infelix obtigit. Quid enim ſe ſperant in aliis ſcientiis profecturos, qui earum rerum ſtudium negligunt, quas in vaſto ſcientiarum pelago lucentiſſimae Phari vices praeſtare jure dicas; ut hinc, lumen illis non præbentibus, verendum ſit omnino, ne a recta via ſemper aberrent; in ſyrtes vero ac brevia quam ſaepiſſime inpingant. Sed quo rapior? Deſcendamus potius ad verba Varronis, quæ in lib. de LL. IV. p.40. leguntur, ubi de ſtragulis cubicularibus verba facit Romanorum doctiſſimus: utque vulgata lectio eſt, ſic ſe habent: *In heis multa peregrina, ut Sagum Renogalli, quid gaunacummæ ejus Sagum, & Amphimallon Græca*. De his igitur, cum manifeſto mendoſa ſint, quid ego judicem, & an diſtinctioni ab aliis jam ante inductae adquieſcam, rogas. E ſane ſi nullum inde verbum excidiſſe putemus; nihil hac concinnatione proclivius veriuſque videtur: *In his multa*

ta peregrina , *ut Sagum* , *Reno Gallicâ* : *Gaunacum majus Sagum* , *&* *Amphimallon Graecâ* . Gallicâ dicuntur *Sagum* ac *Reno* , quae & ab aliis ad Gallorum linguam relata novimus . Sagum & Gallicum nomen aperte dicit Iſidorus XIX. 29. & Gallorum geſtamen fuiſſe e veteribus multi tradiderunt : *Σαγηφοροῦσι καὶ κόμοτρεφοῦσι*, de Belgis inquit præter ceteros Strabo lib. IV. Cujuſmodi autem illud fuerit , ſupereſt non unum teſtimonium, unde dignoſcatur . Virgilius Æn. VIII. Gallos *virgatis ſagulis* relucentes facit ; quae ſi pluribus virgis in viarum modum ductis interdiſtincta exponas , genuinam profecto dabis explicationem . Illæ autem virgae cum in longum latumque, tranſverſim decuſſatimque diſcurrerent, ſeque invicem interſecarent ; multas in medio figuras quadratas , *καὶ ῥομβοειδεῖς* efficiebant , quas figuras ſeu notas *πλινθία* dixit Diodorus *σάγους ῥαβδωτοὺς* a Gallis geſtari ſcribens *πλινθίοις πολυανθέσι καὶ πυκνοῖς διειλημμένους* : *Scutulas* Plinius lib. VIII. 48. ubi ſaga *ſcutulis* dividere Galliam inſtituiſſe prodit . Eodem ſenſu *ſcutulas* a Plinio uſurpatas , quo *πλινθία* a Diodoro , vulgaris eſt eruditorum hominum opinio : eamque vocem a *ſcuto* deducendam eſſe ſcriptitari paſſim certas , niſi quod fuit in tanta turba , qui cum a *ſcuto ſcutulam* potuiſſe fieri negaret ea de cauſſa , quod prima in *ſcuto* producatur , corripiatur in *ſcutula* ; illud pro certo habuit , *ſcutulam* ipſam eſſe , facie licet parumper mutata , Græcorum *σκυτάλην* , quæ idem eſt , quod *ῥάβδος* , ut proinde *ſcutulae* quoque non alius inſit ſignificatus , quam qui virgae ſubjectus eſt : & *ſcutulatae* veſtes unum cum *virgatis* ſonent. eum in hac opinione illud magis obfirmavit , tum quod Cæſar *ſcutulas* pro phalangis ac virgis poſuit , quibus in mare naves inpelluntur ; tum quod ſicut *ῥάβδοι* a Graecis dictae ſunt purpureae veſtium praetexturæ ; eodem ſenſu *ſcutulas* videantur dixiſſe Latini , indicium faciente Hierone in Iſagogis *περὶ εὐθυμετρικῶν* , ubi *σκυτλωτοῖς*, voce ex Latino mutuata , vocat veſtium limbos . Nova omnino iſthæc opinio , ſed quam ut ex omni parte probem , a me ipſe inpetrare vix queo . *Scutulas* aliquando pro virgis a Latinis poſitas do quam lubentiſſime : licet haberem circa Caeſaris locum quid contra adferrem . at *ſcutulas* quoque , unde *ſcutulatae* ve-

velles, virgas proprie notare potius; quam quae ſunt virgis concluſa ſpatia, id vero non adnuo. *Scutulas* de figuris veteres dixiſſe tam nota ac certa res eſt, ut cui de ea dubitare ſubiret, eumdem & deſipere jure quiſque adfirmaret. in eo quidem non omnes aeque convenerunt, quadratae ne eſſent figurae illae, an rotundae: neque enim veterum loca, in quibus de *ſcutulis* mentio incidit, adeo ſunt aperta ſibique conſtantia, ut hanc, vel illam *ſcutulae* figuram nulla tu preſſus haeſitatione adtribuas. Quadratam figuram videtur quis poſſe ſtatuere loco Plinii ex lib. VII. ubi de emplaſtratione loquens *ſcutulam* vocat eam corticis partem, quae ſcalpro ficui eximitur, ut ex alia par cortex apponatur; quamque ex Varrone paucis interpoſitis verſibus monet exſcindendam quatuor digitorum (treis ac ſemis legimus in Varrone ipſo: ſed Plinio pro rupto integrum numerum dare placuit) longitudine, trium latitudine. Adcedit, quod non multo inferius ad vites greſſu facto, quas & ipſas emplaſtrari poſſe docet, *teſſellam* vocat, quam ſupra *ſcutulam* dixerat; ut eodem ſenſu *ſcutulam*, ac *teſſellam*, cujus figura certe quadrata, poſuiſſe videatur. At Palladius e contra I. 9. *ſcutulas* a teſſeris plane diſtinguit: ſicut & qui Vitruvii Architectonica in breve compendium redegit, ανωνυμος ſcriptor cap. XIX.: *Et tum aut marmor ſectile, aut teſſerae, aut ſcutulae* (ſic legendum pro *ſcutula*) *aut trigona ſuperimponantur*. Et utroque longe antiquior Vitruvius a quadratis *ſcutulas* diverſas & ipſe ponit VII. I. *nulli gradus in ſcutulis, aut trigonis, aut quadratis, ſeu favis exſtent*. Vides hinc igitur, mi Mari, quam clariſſime, ſcriptoribus hiſce *ſcutulas* alia, quam quadrata figura fuiſſe. Vulgo illud agitant, utrum pro rotundis fruſtis, an pro quadrilateris potius non rectangulis adceperint. Quantum ad me adtinet, eo magis propendeo, ut pro rhombis eos adcepiſſe credam, maxime quod de figuris ſpacium implentibus ſermonem illis eſſe videam. et non deeſt ſane, qui ſcutulam ῥόμβον eſſe expreſſis verbis docuerit. is eſt incertus ille ſcriptor, cujus fragmentum hodie exſtat a multis Cenſorino tributum: & Cenſorini eſſe facile & ego dederim, dummodo ad aliud ejus ſcriptum temporis forſan edacitate interceptum, non ad Diei Natalis librum pertinere dicatur. in hujuſce igitur fragmenti c.

VII.

VII. in quo figurae recenſentur, earumque definitiones traduntur, Auctor *ſcutulam* ac rhombum pro eadem figura habet, definitque eſſe, cui latera ſint aequalia, non tamen anguli recti: *ſimile* vero *ſcutulae* vocat, quod eſt ῥομβοειδὲς: ſic enim ejus verba diſtinguenda: *Scutula, id eſt, rhombos, quod latera paria habet, nec angulos rectos: ſimile ſcutulæ, cujus contraria latera & contrarii anguli inter ſe pares ſunt, ſed neque æqualiter, nec undique aeque rectis angulis*. Verum ne, quod tam expreſſum tibi teſtimonium, & *ſcutulæ* figuræ conſtabiliendæ tam idoneum protulerim, putes nihil ex antiquitate occurrere, quod orbicularem firmet. *Scutulatos equos* a veteribus dictos, qui multis orbiculis, ſeu περιτρόχοις σήμασι, ut vocat Homerus, ſi recte memoria ſuggerit, Iliados Ψ, a quibus non diſtant Oppiani σφραγῖδες εὐτρόχαλοι, diſtincti, ac veluti pomis variati ornatique ſuperbirent, res eſt vulgo ſat nota, teſtatam eam faciente Iſidoro, qui: *ſcutulatus*, inquit, *vocatus propter orbes quos habet*. Hinc & *ſcutulatas veſtes* non alias eſſe quamplures tenuerunt, quam quibus orbiculi ſive intexti, ſive acu picti eſſent. hanc explicationem in Λεξικὸν ſuum retulit Papias, inficeti ceteroquin ævi ſcriptor: *Scutulata, genera veſtimentorum, dicta quod orbiculos quoſdam habent in ſimilitudinem ſcutulorum*. eademque ratione *ſcutulata* nonnulli exponunt apud Juvenalem ſat. II. Et vero neminem latere puto, veteres non unis quadratis notis veſtes exornaſſe, ſed & orbiculis inoculaſſe, quos *plumas, clavos, oculos* Latini; σφραγῖδας καὶ κέγχρους veteres Græci nominarunt: γύρους & κλαπους infimæ Græcitatis auctores dixiſſe obſervo: cum quadratas e contra maculas χαρτάρια καὶ χάρτια adpellarint. Γύρους ἔχοντα σκιάδια legimus apud Curopalaten περὶ τῶν Οφφικ. τοῦ Παλλατίου Κωνσταντ. erantque umbellæ, ſeu capitis tegmina circulis ſive notis orbiculatis diſtincta. Κλαπους quoque rotundas formas, quibus veſtes variabantur, a citimæ ætatis Græcis nominatas dixi. hinc apud eumdem Curopalaten, ne ab eo ad alios divertam, veſtimenta id genus ornatum præferentia Κλαπωτὰ ſalutata inveniuntur. & alibi μαργελλιον κλαπωτον eſt opus, ſi interpretem audimus, e margaritis in ſquamarum formam diſpoſitis conflatum. At aliter μαργελλιον a Graecis ipſis explicatum video, & ante me viderunt alii. Idem nempe μαργελλιον cum λώματι faciunt, quo nomine

mine veniunt limbi, qui ad extremas veſtimentorum oras adſuebantur. Sic Moſcopulus: λωμα το επ' ακρω τινος εκπεπασμενον κȣ οιονει ορίζον αυτο, ως το κοινως λεγομενον μαργελιον. Hinc fuit, quì pervicaciter contenderet a *margo* deductum eſſe diminutiva forma μάργελιον. alibi hanc vocem cum κρηδεμνω confuſam me vidiſſe probe memini; at ubinam, in præſens non ſuccurit. Mirum, quantum ſimilitudinis inter μαργελλιον intersit, & Hebraica מרגלות; quibus Ruth. III. 4. ex ſtragulorum pars notatur, quae pedes dormientis integit; & רעלות ſeu מרעלות, quae Iſaiae III. 19. inter muliebria ornamenta recenſentur: licet quodnam proprie fuerit, res ſit haud ita facilis expeditu. Satis modo ſit (namque alias forſan binas haſce λεξεις longiori diſputatione excutiam) nonnullos interpretatos eſſe faſcias gemmis bracteoliſque aureis relucentes. Cernis itaque, quam native harum vocum ſpeciem exhibeat μαργελιον: ut hinc ex earum alterutra derivatum facile quis ſibi perſuaderet, ni illud obſtaret, quod ſero tandem ea vox in Graecam linguam ſit invecta. Verum quidquid de ejus origine ſit; hoc in præſens ſcire ſufficiat, μαργελιον κλαπωτον apud Europalaten eſſe ſellae ornatum quemdam in antica ac poſtica parte poſitum; multiſque κλαποις diſtinctum: quam vocem fuit, cum exiſtimarem eamdem eſſe Latinam *clavus*. Poſt aliud viſum eſt: cum enim rotunda faciei macula eiſdem elementis ab Arabis dicta ſit كلف, & ſquama a Syris ܩܠܦܐ; quid ambigerem, eam vocem ex Orientalium lingua defluxiſſe? *ſquamas* Latinos quoque rotundas notas dixiſſe non eſt, ut te moneam, mi Franciſce: cum neminem fugiat locus Maronis ex Æn. x. ubi *ſquamas* rotundas illas laminas, quibus conſerta pellis Chloreos equum tegebat, illuſtris poeta vocavit: *quem pellis ahenis In plumam ſquamis auro conſerta tegebat*. Porro formae etiam rotundae, credo, fuerunt, quae veſtium ſigna ιωπαπερ Lacones nominarunt: de quibus apud eruditiſſimum Heſychium mentionem factam reperi: Ιωπαπερ, τα εν τοις ιματιοις σημεια, Λακωνες. Verum cum hinc nulla detur anſa conjiciendi, orbicularia fuiſſe, non aliter: & eam rurſum Ιωπαπερ exponens vocem adhibeat, quae de quibuſcumque notis dicebatur, ſive rotundae illae eſſent; ſive quadratae: illud ſatius ſit in animum inducere, quidquid umquam notarum in veſtibus Laconicis luderet, id omne dictum

eſſe,

eſſe ιωπατερ, ſi ea excipias inſignia, quæ ad oras veſtium adſuebantur: haec enim Σαμεα nominabant, idem Heſychius: Σαμεα, τα εν ταις ωαις των ἱματιων παρασημα, Λακωνες. & ſi quis ιωπατερ ab Hebr. יפת, quod licet pro ſignis tantum prodigioſis in ἱεροις libris uſurpetur; tamen nuda quoque ſigna, aeque atque אות, notaſſe nullus dubito, deduxerit; quamqnam & aliunde trahi poſſe videam, haud longe a vero aberraturum crediderim; ut hinc quod in communi Græcorum lingua σημειον, id in Laconum dialecto ιωπατερ fuerit. Sed jam tempus eſt, ut ad *ſcutulam*, tamquam ex interpellato itinere, regrediar: atque optata luce perfundam. Quod ut feliciter eveniat; tres in *ſcutula* voces agnoſcamus omnino eſt neceſſe, quibus, ſi externam ſpeciem excipias, nihil praeterea ſit, in quo conveniant. Quae nempe virgam notat; aliam hanc putemus oportet a *ſcutula*, quam pro figura Latini poſuerunt: & ab hac rurſus ea plane ſecernenda, quae vaſis genus rotundum ſignificavit. Utque primam cum Graecorum σκυταλη eamdem haut invitus facio; ſic ſecundam ad altiorem originem trahendam eſſe obfirmato animo contendo. Cum enim Hebraeis videam probe notum fuiſſe artificium veſtes orbiculis variandi; eorumque lingua orbiculi dicti ſint שבצים a שבץ *ocellatum opus fecit*; unde כתנת תשבץ Exod. XXVIII. miſſis tot interpretamentis quæ nil niſi meras nugas ſapiunt, eſt veſtis opere plumario orbiculis picta; quis adeo moroſus fuerit, aut rerum ſemel receptarum adeo tenax, qui *ſcutulam* exinde derivatam mecum non conjurabit? licet autem Hebraeo ῥηματι & ocellatum & teſſellatum opus indiſtincte tribuant; quam tamen priorem poſui, veram propriamque fuiſſe notionem, ex eo manifeſto vincitur, quod משבצה illius radicis frutex de annuli quoque funda, quae cava ac rotunda eſt, atque adſervando conſtringendoque annulo inſervit, dicta fuit: non ſecus atque σφραγιδας Graeci & veſtium ocellis, & annulorum fundis notandis addixerunt; qua de cauſa Heſychius σφραγιδα & σφενδονην pro eadem re ponit: σφενδονη, το του δακτυλιου περιφερες, η σφραγις. Ex his igitur vides, mi optume Mari, vel me non monente, *ſcutulas* initio orbiculatas proprie notas fuiſſe; cujus notionis veſtigia adhuc in lingua Latina internoſci ſupra monui. at vel poſtea temporis ejus vocis notio latuis

tius patuit, ut non de rotundis tantum, ſed & de quadratis notis diceretur : vel cum primum Latii ſolum adſpexit, non adeo anguſtis eam limitibus circumſcriptam excepere, ut ultra rotundas formas non porrigeretur ; maxime ſi Hebrææ radici teſſellatum quoque opus tribuere adlubeat. Factum autem aliquando, ut de ῥόμβῳ praeſertim diceretur, ex iis, quæ ſupra diſputavi, abunde conſtat. Tertia jam ſuccedit *ſcutula*, quam, cum rotundum vas ſignificarit, a *ſcutra* per diminutionis formam deductam eſſe minime dubitandum, unde & ſcutriſca vas itidem rotundum : quam dictionem uſurpat Cato in lib. de RR. *ſcutra* vero a χύτρᾳ deſcendit, quæ Siculorum lingua σκύθρα. Quare nihil neceſſe eſt *ſcutulam* vel ad קשוה, quam ipſam eſſe ſcutellam vulgo putant ; & tum Exod. xxv. 29. tum Numer. iv. 7. inter tabernaculi vaſa recenſitam habes, referre ; vel ex eodem fonte derivare, unde ſuperiorem ſcutulam manaſſe oſtendi, quod alioqui non omnino ſpernendum eſſet : cum enim annuli fundam quæ & cava & rotunda eſt, תשבצה exinde dictam cernamus; quid facilius quam ex eadem radice potuiſſe ſcutulam fruticari, quae & cavum & rotundum vaſis genus fuit ? ſed jam ſatis in ſcutulis ornanda epiſtola luſimus, quam ſcutularum diſtinctionem ego primus induco, ſi optimam eam eſſe dicam ; rem a vero haut alienam dicere mihi videor. Haberem & alia de ſago, quae heic apte ſederent : inſignis praeſertim Strabonis locus e lib. iv. in quo proprium Gallici ſagi nomen Λαῖναν, prout vulgata lectio habet, eſſe adfirmat, dignus profecto eſſet, ut hic proferretur, ac penſitatius diligentiuſque a me perpenderetur. at cum multa adhuc ſuperſint neceſſario dicenda ; pinguiorem contra epiſtolam inpedimenta quaedam inter ſcribendum oborta me exarare prohibeant ; hinc locus ille Strabonis, & cetera, quae tecum habeo communicanda, alterius epiſtolae, quam cum majori otio fruar, exarabo, materies erunt. Illud hic ſatis ſit monere, *Sagum*, ſi veram ejus originem quaeras, ad primaevam linguam eſſe referendum, quae ῥῆμα סכך ſeu סכה nobis offert, unde מסכה Ezech. 13. pro veſtimento accipitur : ab ea vero lingua in Graecam, Gallicam, Latinam ; & in alias forte effluxiſſe. Graeci σάγον & pro veſtimento, quod σάγμα etiam dixit Ariſtophanes in Veſpis, ubi Μορύχου σάγμα villoſum illud ſagum, quo ad frigus prohibendum Morychus utebatur, legitur, & pro ſcuto uſurpa-

parunt. & licet *σαγην το οπλον*, *πανσαγιαν δε την πανοπλιαν* Ariſtophanis ſcholiaſtes in Veſp. expoſuerit; Heſychius *σαγον μερος τι της πανοπλιας, σαγην την ολην πανοπλιαν* eſſe voluerit; ego tamen ſic ſtatuendum ſemper putavi, ut ſicuti *οπλον* antiquiſſimis Graeciae temporibus ſcuti proprie notionem habuit: qua de cauſſa imaginum clypeos, qui ceteris Graecis *θωρακες* erant, *οπλα* vocabant Thebani, teſte Pindari ſcholiaſte ad Iſthmionicas, qui poſtquam aereum thoracem Timomacho poſitum dixiſſet, tum: *τουτον*, ſubdit, *Θεβαιοι οπλον εκαλουν*: poſtea vocis notione latius prolata omne armorum genus conplexum eſt, unde *πανοπλιαν* univerſum armorum adparatum dixere; ſic & *σαγος*, cum de ſcuto proprie initio diceretur, temporis progreſſu, quidquid armorum erat, conprehenderit; unde *πανσαγια* idem quod *πανοπλια*. hinc non mirum, ſi & ex binis ejuſdem ſignificationis vocibus *σαγος* & *οπλον* deſcenderint; cum *σαγος* ſuam a סכרה originem duxerit; *οπλον* vero a בלע *texit* omnino deducendum ſit: ex qua eadem radice in Thracicam lingua *πελτη* quoque peculiare illius gentis ſcutum derivatum eſt. Nec enim aptius aliunde harum vocum cunabula trahuntur, quam ex iis fontibus, in quibus rerum ipſarum uſum perſpici clare datur; hinc & *σακος*, quam vocem inter antiquas, quibus uſus ſit Homerus, recenſuit Plutarchus de dialect. Homer. quis mihi eripiat, quin eo referam, unde *σακος* manavit? & *ασπιδα*, *αμφιβροτην* nempe illam, ut ab Homero Il. B. a tegendo corpore dicitur, undenam verius quis arceſſat, quam aut ab הספין *tegmen* converſo נ in *σ*, aut a צפה inter tegendi verba jure & ipſo referendo. Dixi *αμφιβροτην* illam; namque eſt *ασπις* etiam notiſſimum idemque in primis noxium ſerpentis genus; cujus alterius *ασπιδος* origo plane diverſa, quam brevitatis ſtudio huic loco non inſero alias declaraturus: cum ſelecta quaedam tum de aſpide, ejuſque Aegyptio nomine *Θερμουτις*, cujus memoria ne interiret, diligenter providit Ælianus in ſuam Anim. hiſtoriam referens, tum de binis Hebraeis vocibus השפף, & צפע, quarum altera Gen. XLIX. 17. occurrente *κεραστην* plerique, nonnulli *ακοντιαν* exitioſiſſimum utrumque, exſtruendiſque in ſidiis paratiſſimum ſerpentis genus notari putant; alteram vero *βασιλισκον* interpretantur, mihi pridem obſervata pandam. Sed jam me vocant *Rhenones*, quos e

pelli-

pellibus conſutas veſtes fuiſſe res eſt omnium vulgatiſſima. Iis Germanos ſua corpora tegere conſueviſſe ſat quiſque ex Salluſtii fragmento dignoſcit, quod a Servio in III. G. recitatur: *Germani*, in ſuis hiſtoriis ſcriptum ille reliquit, *intecti corpus Rhenonibus tegunt*. Non ex quibuſcumque tamen pellibus iſthaec veſtimenta conficiebantur, ſed ex iis, quas Rhenonibus, quod animalis genus erat, detrahebant. clare id Caeſar indicat de B. G. lib. VI. c. VI. ubi de Germanis haec habet: *Pellibus, aut parvis Rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda*: quorum verborum ſi integrum velimus eſſe ſenſum; *Rhenona* animalis nomen dicamus omnino eſt neceſſe; nec, ſi quale animal fuerit, in obſcuro lateat, aut alius ex veteribus ejus animalis non meminerit; ideo Caeſaris verba ſollicitare quis audeat; quaſi omnia, quae aut ſatis clara non ſunt, aut plurium auctoritate non roborantur, continuo nobis ſuſpecta eſſe debeant. Cum igitur quae veſtes ex illius animalis pellibus conſuebantur, ſint *Rhenones*; abunde hinc perſpicis, quid de eorum opinione judicandum, qui *Rhenones απο των ρινων*, quae ipſae ſunt pelles, aut *απο των ρηνων*, qua voce agni notantur, deducunt, ut agninae proprie pelles ſint *Rhenones*. De pelliceo Germanorum veſtitu exſtat etiam intricatus Taciti locus, quem ex ejus de Germania libro juvat hic referre: *Gerunt*, inquit, *& ferarum pelles, proximi ripae negligenter, ulteriores exquiſitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, & detracta velamina ſpargunt maculis, pellibuſque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit*. Hunc locum, ut primum, cum Taciti opera alias legerem, ſub oculos cecidit, miſere conruptum luxatumque ſtatim exiſtimavi: nec enim videbatur poſſe fieri, ut qui ripam proxime incolerent, & quibus proinde alienus cultus innotuiſſet, negligentius; qui vero interiorem Germaniae partem habitarent, quique nullum cum aliis gentibus commercium haberent, ornatius exquiſituſque pellicais veſtibus uterentur. Tum & ſequentia non adeo adparebant difficultatibus libera, ut nullam legenti ſollicitudinem ſcrupulumque injicerent. Hinc multas excogitavi emendationes: & priora praeſertim verba non aliter reſtitui poſſe putavi, quam ſuae reddendo ſedi, quae voces di-

mo-

Digitized by Google

motae ac tranſpoſitae fuerant. At poſtea cum haſce mihi litteras exaranti rurſus Taciti Germaniam in manus reſumere opus fuerit; verbaque illa maturius diligentiuſque perpendiſſem, fateor me haut ex omni parte, quae prius ſenſeram, confirmaſſe. quin modo vulgata lectio recte ſe habere mihi viſa eſt; quaſi id dicat Tacitus, qui proximi ripae erant, eos alieno cultu per commercium inportato captos pelliceum veſtimentum nil curaſſe; qui vero interiora Germaniae loca tenebant, hos quidem pellibus unice delectatos in eas omne ſtudium ſuum contuliſſe, & quam poterant elegantiſſime, adornare adlaboraſſe: modo Caeſaris verba omnino corrupta eſſe, atque in hunc modum emendanda ſuadebat animus: *Gerunt & ferarum pelles, proximi ripae non negligenter, ulteriores exquiſitius. nam quibus nullus per commercia cultus, eligunt feras, & detracta velamina ſpargunt maculis; pellibus quoque, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit, utuntur.* certe haec lectio optimum Taciti verbis ſenſum praeſtat: eamque exquiſitioris ulteriorum Germanorum veſtitus cauſſam praefert, quia cum nullus per commercia cultus in eos invectus eſſet, in id ſedulo incumberent, ut ex feris optimas quaererent, earumque pelles ſtudio, quam poterant maximo, variarent: quae cum non itidem, quaecumque tamdem ejus rei cauſſa fuerit, proximi ripae facerent; hinc non tam exquiſite illi pellibus uti videbantur; ſed nec tamen negligenter. Quid autem ad hunc Taciti locum alii notarint, videre non licuit: nec enim niſi ſimplicem Taciti textum, nulliſque auctum commentariis ad manus habeo. meliora, quam ego dedi, adtuliſſe quempiam vix credo. Jam ſi quantum vellem, exſpatiari liberum eſſet; lubens aliquid de *maſtruga*, quam *Germanicam veſtem ex pelliculis ferarum* fuiſſe ſcribit Iſidorus, Cicero Sardis etiam tribuit, unde *maſtrugatus* Plauto dicitur, qui *maſtruga* indutus eſt; tum & nonnulla de pellium apud veteres uſu; deque Juſtini loco, ubi de Scytharum pelliceo tegumento loquitur, qui conrectores habuit multos, felicem neminem; non pauca ſubjicerem: at temporis brevitas ad alteram Varroniani loci partem properare me cogit, in qua *Gaunacum* ſe prius offert, quod cum e veteribus Perſicam Babylonicamque veſtem fuiſſe alii retulerint, cur *majus Sagum* in Varronis loco ſalutetur, hic mihi

dii contuliſſet, ut quaereret, apud quam nationem Sagum non infibularetur: in qua quaeſtione mirum quantum ſe involverit atque inplicarit. Cum enim Illyricorum Saga fibulata fuiſſe ex Claudii verbis intelligi crediderit: aliarum contra gentium Sagis fibulam alii ſcriptores tribuant, Romanorum Varro: Hiſpanorum Appianus: Gallorum Polyaenus: Germanorum Tacitus; hinc principio in deſperatis difficilibuſque ponit aliquam poſſe reperiri gentem, quae Sagum fibula non conſtrinxerit: tum Gallorum Saga ſine fibula fuiſſe ſibi videri pronunciat: quam in rem poſtquam nonnulla congeſſit, in eam tamdem ſententiam venit, ut nec ejus gentis Saga ſine fibula eſſe potuiſſe judicet. Et vero ſi Poliaeni verba alio deflectere cui contigerit, in quem ſenſum verba Diodori detorquebit, qui aperte de Gallis: *επιπορπευνται*, inquit, *σάγοις ῥαβδωτοῖς*? adhuc igitur quaerendum ſubdit, apud quam gentem fibula ſagum caruerit: dum ecce rurſus ſurgit, & quod Romanorum ſagum initio Varronis auctoritate fibulatum fecerat, hoc ipſum nulla fuiſſe fibula inſtructum ex eo poſſe quem arguere inquit, quod nec praeter Varronem alius fibulae in ſago meminerit, & Varronis ipſius verba contrarium oſtendere videantur, ſicut & Claudius in Ep. ad Regil. Sed nos & Varronis teſtimonium pro fibula aperte facere tenemus, quod pluribus hic confirmare nil adtinet: & Claudii verba ineptiſſime, atque inportune eam in rem citari abunde modo demonſtravimus. Tu interim, ſuaviſſime mi Mari, illud conſiderato, quot turbas excire, in quot tricas ſe conjicere, quot gerras blaterare Rei Veſtiariae ſcriptorem inpulerint iſtaec Claudii verba non rite intellecta: e quibus ego primus erui, Illyricos eſſe gentem illam, quae Saga non omnia infibulavit: quod forſan & apud alias gentes obtinuerit, licet nullum ejus rei, quantum memoria teneo, veſtigium in antiquis ſcriptoribus exſtet. Sed videamus nunc, num & ſua Gaunaco fibula fuerit. Et fibulatum quidem fuiſſe colligere datur ab Ariſtophane Veſpis, qua in fabula cum Polycleonti omni ſtudio conetur filius ſuadere, ut poſito tribonio Gaunacum inducat; negat ille id ſe umquam effecturum, timens ne ab eo ſuffocetur, Επειτα, inquit, *παιδας χρη φυτευειν και τρεφειν, Οθ' ουτοσι με νυν αποπνιξαι βουλεται*; erat nempe tribonium, quod tum Polycleon ge-

ſtabat, nulla fibula conſtrictum; hinc, ſi Gaunacum ſumerer, timebat, ne animus ſibi illius fibula intercluderetur. Fatendum tamen ea verba pro fibula non adeo eſſe aperta, ut non aliter & fortaſſe melius explicari queant: poterat enim non a fibula, qua Gaunacum ſtringeretur, ſuffocationem timere, ſed a nimio calore, quem veſtis illa fuiſſet excitatura: quem calorem & infra exagitat exclamans: αμοι δειλαιος Ως θερμον ή μιαρα τι μυ κατηρυγεν. Hunc autem adeo vehementem fervorem jure timendum erat, homini levi tenuique veſtimento, quale tribonium erat, adſueto, ne Gaunacum excitaret: quippe villis denſa veſtis haec erat. Cujus rei & ipſe Ariſtophanes indicium facit, & alios ſervo teſtes quam uberrimos. Apud Ariſtophanem in eodem fabulae loco inquit Polycleon ſimile ſibi viſum eſſe Gaunacum τῳ τυ Μορυχυ σαγματι. atqui σαγμα iſtoc Scholiaſtes exponit σαγον μαλλωτον, quo Morychus homo deliciis fluens ad arcendum frigus utebatur. Porro cum a filio audiſſet Gaunacum Ecbatanis fieri; ergo Ecbatanis, ſalſe ſubdit, γιγνεται κροκης χολιξ. quibus verbis villos bovis inteſtino perfacete comparat: χολιξ enim, ut ait Scholiaſtes, λεγεται το τυ βοος εντερον μαλλωτον. Dixi, nec alios deeſſe ſcriptores, qui minime obſcura teſtimonia de Gaunaci villis dicant. en Palamedem tibi primum offero, cujus verba Ariſtophanis Scholiaſti debemus: Καυνακης εστι, inquit ille, Περσικον ιματιον εχον εκ τυ ετερυ μερυς μαλλυς. erat igitur εκ των ετερομαλλων, quae ex una tantum parte villos praeferebant. Habemus idem ab Heſychio, cujus verba vulgo ſat innotuerunt. Non ex lana vero ſolum Gaunacum conficiebatur: ſed & quas veſtes e murinis pellibus conſuebant, Καυνακας Perſæ adpellabant, ſi vere pro Καυαυται, ſive και αυται εις Καυνακας legendum apud Aelianum περι Ζωων ιδιοτητος XVII,17. ubi murium quorumdam Babyloniorum pelles ab inſtitoribus in Perſida vehi ſolitas, ex iiſque veſtes confici fovendo corpori quam aptiſſimas enarrat: Perſicumque earum veſtium nomen prodit, quod exſcriptorum inſcitia miſere deformatum videtur: τοιυτοι δε αρα και οι μυς οι εν τη Γερηδονι της Βαβυλωνιας εισιν, ωνπερ και τας δορας ισασιν οι τυτων καπηλοι, και ες Περσας αγυσι φορτον. εισι δε απαλαι, και συνεῤῥαμμεναι, χιτωνες τε αμα γινονται, και αλεαινυσιν αυτυς. καλυνται δε αρα υτοι Καυαυται (al. και αυται) ως εμοι κ φιλον. in hunc modum ſe habet

bet vulgata lectio. quod quidam Καυνακεις repoſuerint, non male factum puto: eoque minus male habendum, quo magis nomen illud profanare ſolemne fuit amanuenſibus. Hæc tamen emendatio, ſi nullus poſtea M. S. liber repertus eſt, qui pondus illi addiderit (quod an contigerit, non teneo: necdum enim in manus cecidit, quam ultra montes adcuratam audio, recentiſſima Animalium Hiſtoriae editio), non tam certa exiſtimanda eſt, ut aliam inibi vocem latere nemini ſubſpicari liceat. Illud quidem, quominus Καυνακεις legamus, ac de Perſicis Gaunacis intelligamus, nihil obſtare lubens agnoſco, quod clare Ariſtophanes Perſicum Gaunacum e lana conſici dixerit. Nam & Κανδυν, quae & ipſa Perſarum veſtis fuit, cum nobile alias indumentum eſſet, & ex nobiliori materie conflari ſoleret; aliquando tamen e pellibus conſtitiſſe novimus. rei conprobandae praeſto eſt Pollux, qui lib. VII. 13. haec inter cetera inſerſit: ὁ δε Κανδυς ὁ μεν βασιλειος, αλοπορφυρος. ὁ δε των αλλων πορφυρυς. ες̓ι δε οτε κ̓ εκ δερματων. Quod cum ita ſit; quid ſi hanc vocem in Aeliani textum inducamus, & pro καλυνται δε αρα ητοι Καναυταν ως εκεινοις φιλον legamus καλυνται δε αρα ητοι Κανδυες, καθως εκεινοις φιλον. Si nulla in alia re, in ea certe melius ſe habet haec emendatio, quod Κανδυν e pellibus aliquando conſutum certo ſcimus: quod non aeque de Gaunaco patet. & nunc, ex quo pellium genere ille conficeretur, ab Aeliano condoceremur. Sed ut ad rem revertamur: jam in exploratis compertiſque numerandum, villoſum veſtimentum fuiſſe Gaunacum. at ſagum quoque tale fuiſſe, pudet me veterum teſtimoniis firmare: adeo vulgata res eſt, nec ab ullo umquam in dubium revocata. quin ſaga quaedam ex lana tam craſſa conſtiterunt, ut hinc ſagum pro viliori veſte non raro a Latinis ſcriptoribus uſurpatum inveniatur: purpureis veſtibus induto Martialem *ſagatum* opponentem quid opus tibi citem? Sagum apud Senecam abjecti horridique veſtimenti locum tenens quis non vidit? In duobus igitur geminum amictum conveniſſe jam mihi abunde praeſtitiſſe videor, tum in eo, quod uterque apertus, fibulaque conſtrictus fuerit, tum in eo quod villis uterque horridus. Sed & exinde quis forte ſimilitudinis argumentum ſumat, quod Gaunacum & χλαιναν confundit Ariſtophanes, apud quem Bdelycleon, ubi patri jubet, ut dem-

dempto ſibi tribonio Gaunacum inducat, pro Gaunaco χλαιναν dicit: Τηνδι χλαιναν αναλαβε τριβωνικην. Inter χλαιναν autem & ſagum multum interceſſiſſe ſimilitudinis ipſa conlatio abunde patefacit. erat nempe χλαινα eodem modo ac ſagum, veſtis aperta: & fibulam proinde, licet nullum hac de re teſtimonium nunc mentem ſubeat, habere debuit, qua clauderetur: de laena certe, quae eadem cum Graecorum χλαινα putatur, non ſinit dubitare Servius, qui in *laena Flamines ſacrificaſſe infibulatos* prodit. Villoſum pariter craſſumque veſtimentum erat; hinc ουλας χλαινας a villorum denſitate ſic dictas legimus apud divinum Homerum: & χλαινας πορφυρεον περιβλημα chlaenam exponit magnus ejus interpres Euſtathius. fovendo corpori, frigorique arcendo maxime inſerviebat; quae cauſſa fuit, cur αλεξανεμον eam idem Homerus, χειμαμυναν Æſchylus diceret. & ex eo, quod hieme geſtaretur, χειμερινον ἱματιον illam dixit Heſychius. erant tamen χλαιναι tenuiores, quas χλανιδας, ſeu χλανιδια adpellabant: inter quas & χλαινας quid diſcriminis apud veteres fuerit, proſtat, unde hauriatur, Ammonii libellus περι ὁμοιων κ διαφορων λεξεων. Praeterea forma quoque ſagum & χλαινα convenerunt: nam ſi τετραγωνον ἱματιον hanc fuiſſe antiqui Grammatici docent; *& ſagi quadrati* mentio occurrit in loco Iſidori vulgatiſſimo ex lib. XIX, 24. Non eo tamen in animum velim inducas, quadratae ſemper figurae fuiſſe ſagum: cum contrarium manifeſto evincant vetuſti aevi, quae aetatem tulerunt, monimenta, quae rotundum nobis illud repraeſentant. Verum hoc ego ab Ariſtophane petitum argumentum non adeo validum puto, ut nulla reiici poſſe exceptione credam. Si vis ingenue fatear; languidum potius omnique robore deſtitutum videtur: χλαινης namque nomine quaevis craſſa veſtimenta antiquos Comicos deſignaſſe docet Pollux X, 27. την χλαιναν δε ουτως εκαλουν οἱ της κωμῳδιας ποιηται, μονη τα παχεα ἱματια ταυτης της προσηγοριας αξιουντες: in idem conſentit Heſiodi Scholiaſtes, qui; χλαινα δε, inquit, η χλανιδιον, το νυν καλουμενον σφικτωριον, η τα παχυ ἱματιον. Cum igitur inter παχεα ἱματια & Gaunacum eſſet, ea ratione potuit χλαινα ab Ariſtophane dici. Sed nec opus eo argumento: cum aliunde, quantum inter Sagum & Gaunacum ſimilitudinis interceſſerit, ſatis adpareat: niſi quod longius fortaſſe, aut latius ampliuſque Sago Gaunacum fuit: atque hinc eam potuit explicationem recipere,

pere, quam Varroniani loci emendata lectio praefert. Quare haut probandum conſilium eorum, qui verba illa *majus Sagum* tamquam gloſſema expungenda cenſuerunt. Sed quid tam multus, dicentem te audire videor, fuiſti, ſi de ſtragulis cubicularibus, non de veſtibus eo loci loquitur Varro? Fateor, de ſtragulis Varroni ſermonem eſſe: at adhuc tamen, quæ diſſerui, ad rem quam maxime facere haut nutanti pectore adſero: etenim quamplura veteribus veſtimenta fuiſſe reperio, quae duplicem illis uſum praebebant; cum & corpori regendo inſervirent, & lectis inſternerentur. de χλαίνῃ tam id certum eſt, quam quod certiſſimum: multa enim praeſto ſunt divini Homeri loca, e quibus manifeſtiſſime conficitur. e multis unum tibi indigito ex Iliados Ω, ubi Achilles ſociis ancilliſque juſſiſſe dicitur, ut lectos ſternerent, eiſque præter alia ſtragula χλαίνας quoque injicerent. Χλαίνας τ' ἐνθέμεναι οὔλας καθύπερθεν ἕσασθαι. Hinc & χλαίνας inter cubicularia operimenta recenſet Julius Pollux lib. VI. I. idemque alibi: χλαῖνα, inquit, ἱμάτιον ἐπὶ τῷ χιτῶνι, ἔσθ' ὅτε μέντοι εὐναῖον περίβολαιον, & Ammonius in eo etiam χλαῖναν καὶ χλανίδα differre docet, quod χλαῖναι & geſtarentur, & cubilibus inſternerentur: χλανίδες amiciendo tantum corpori inſervirent. Prater χλαίνας, σισύρας quoque ſeu σισύρνας & induendi & lectis inſternendi cauſſa ſumptas ſat novimus. Dixi σισύρας ſeu σισύρνας: nam licet Heſychius differre dicat, & σισύρναν quidem χιτῶνος εἶδος eſſe doceat; σισύραν δὲ, διφθέραν εἰς ἀμπέχεσθαι καὶ στρώμνην ἐπιτηδείως ἔχουσαν: porro & alii inter σισύν, σισύρναν, καὶ σισύραν diſtinguant; alii tamen nullam inter σισύρναν & σισύραν differentiam agnoverunt, τὴν αὐτὴν vocantes καὶ σισύραν καὶ σισύρναν, ut habemus ab Ariſtophanis Scholiaſte Veſpis. Hinc Ammianus Marcellinus, quam *Siſyram* ipſe dicit, *Siſurnam* vulgari ſimplicitate adpellatam ſcribit lib. XVI. Et Eratoſthenem idem Ariſtophanis Scholiaſtes Avibus teſtatur ſcripſiſſe, ὅτι φασὶ σισύραν καὶ σισὺν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ μετέχεσθαι. Poſſem & alia huic loco ejuſdem generis veſtimenta infindere: non pauca enim penus mihi mea ſuppeditat. Attamen quum & brevitatis ſtudio tenear, & quæ adduxi exempla, ſatis ſuperque comprobare videam, a vero nil alienum me dicere, ſi Gaunacum quoque ex iis veſtimentis fuiſſe adfirmem, quæ & corpus tegebant, & lectis injiciebantur; hinc aliis veſtimentis proferendis ſuper-

perſedeo. Illud non aeque tacitum praeteribo, quod non apud Romanos tantum, ſed & apud Graecos Gaunacum ſtraguli vices tenuiſſe comperi: quippe Menandrum Καυνάκας de ſtragulis dixiſſe ſcriptum reliquit Pollux lib. VI. I. Καυνάκας δὲ τινας πορφυρᾶς ἐπὶ ϛρωμάτων Μένανδρος ὠνόμασε, & lib. X. 27. iterum illi inter cubicularia operimenta recenſentur καὶ οἱ παρὰ Μενάνδρῳ Καυνάκαι, καὶ χειμῶνος σισύραι, ut emendant, quod ante legebatur κώμματος καὶ χειμῶνος σισύραι: quam emendationem ut meo calculo probem, nullo modo adducor: cum enim in uno ex manu exaratis libris pro καῦμα animadverterim haberi καυνα, hanc veram prorſus atque indubiam lectionem eſſe mihi lubens perſuaſi, καὶ οἱ παρὰ Μενάνδρῳ καυνάκαι, χειμῶνος σισύραι: ita ut bina poſtrema verba nihil niſi Καυνακῶν expoſitio ſint, eo modo, quo χειμάστρον καὶ χλαῖνα χειμερινὰ ἱμάτια dicuntur ab Heſychio. Nihil igitur, quominus ex eo *majus Sagum* Gaunacum a Varrone dici potuiſſe putemus quod laxius aut longius veſtimentum Gaunacum fuerit, obſtat, quod de ſtragulis cubicularibus, non de veſtibus loquatur Varro. Quin & *Sagum* ipſum & *Rhenona* in eorumdem veſtimentorum cenſum, quae & geſtarentur & lectis inſternerentur, referre ne dubites. ſagum Luſitanis quoque duplici huic uſui fuiſſe memoriae prodidit Strabo lib. III. ubi populum illum in ſagis & inceſſiſſe, & dormiiſſe herbaceis thoris incubantes tradit: μελανείμονες ἅπαντες. τὸ πλέον ἐν σάγοις, ἐν οἷσπερ καὶ στιβαδοκοιτοῦσι. Quae de Luſitanis Strabonis verba in mentem mihi redigunt verba illa Laertii, quibus Diogenes primus tribonium duplicaſſe dicitur, tum ut eo ſe interdiu involveret, tum ut in eo noctu ſomnum captaret: Τρίβωνα διπλώσας πρῶτος διὰ τὸ ἀνάγκην ἔχειν, καὶ ἐνεύδειν αὐτῷ. Nec illud praeterea hic mihi objici velim, quod cum *Gaunacum* non modo apud Romanos, ſed & apud Graecos vocem veſtemque peregrinam fuiſſe apud omnes ſatis conſtet, abhorrens a vero videatur, illud a Varrone inter Graecas potuiſſe numerari: proindeque dicendum potius, aliquid e Varronis textu excidiſſe, quod, ut Varroni erroris nota eximatur, omnino ſit ſupplendum. Nolim id, inquam, mihi opponi: namque ideo Graecae linguae Gaunacum Varro tribuit, quod a Graecis ſcriptoribus non ſemel eam vocem uſurpatam cerneret, de eo nil ſollicitus, proprio ne jure eam Graeci uſurparent, an ex alie-

aliena potius lingua mutuam adcepiſſent. Undenam autem Καυνακην factum ego putem, altera epiſtola declarabo; nunc, ne iniquus videar, aliquid de poſtrema Varroniani loci λεξει adtingam, de Amphimallo, inquam, quo nomine ea notari veſtimenta, quae villis utrimque hirta ac denſa erant, res eſt apud omnes pervulgata, utque pro compertiſſima habeatur, vocem ipſam, nulla alia re inſpecta, vel fugientibus oculis intueri ſat eſt. Cum ἀμφιμάλλοις unum idemque ſunt ἀμφιταπητες; hinc Pollux: Αμφιταπητες, οἱ ἐξ ἀμφοτερω δασεις. quo modo Heſychius quoque aliique multi eam vocem expoſuerunt. Ταπητες e contra dicebantur, quae veſtes ex una tantum parte villos habebant: quare jure Pauſanias ſcripſit, οτι ἀμφιταπητες, οἱ αμφιμαλλοι, οἱ δε ἑτερομάλλοί ταπητες. Prioris generis fuit ὁ Κορταιος, quo nomine Silenorum tunicas a nonnullis vocatas fuiſſe prodit Dionyſius Halycar. VII. dixi prioris generis: talis namque erat veſtitus ille Silenorum, Aelianus lib. III. 40. ἐσθης δ' ην τοις Σειληνοις αμφιμαλλος χἶτωνες. pro αμφιμαλλοις μαλλωτες, at eodem certe ſenſu, dixit Dionyſius. De χορταιῳ extat etiam Pollucis teſtimonium lib. IV. 18. ubi hiſtrionum veſtes recenſet: Χορταιος, inquit, χἶτων, δασὺς ὃν οἱ Σειληνοι φορεσι. adde Heſychium Grammmaticum ab eruditionis copiis non mediocriter paratum: Χορταιος, inquit is, δασὺς χιτων, ειος τῶν Σειληνων Κορταιοβαμιος ὁ Σειληνος. At quoniam huc proceſſit oratio, juvat aliquid de origine etiam illius vocis ſubjungere; nec enim aures iis praeſtandae ſunt, qui ἀπὸ τε χορτε deducunt, quaſi prima των χορταιων materies foenum fuerit. ego ſane χορτον, & Χορταιον pro diverſis plane vocibus habeo; nec quid inter eas adfinitatis agnoſco, χορτον enim a חצר ejuſdem ſignificationis voce per μετάθεσιν factum ajo. Χορταιον vero placet ab eadem radice derivare, unde מכבר ſtragulum dixerunr Hebraei, a כבר nempe *multiplicari*, unde כברה ſatis apte dici potuit veſtis denſa graviſque quaſi *multiplex*, id eſt, multum craſſa, quo modo *Laenam* a materiae itidem denſitate *veſtimenti genus duplicis habitus* adpellavit Feſtus. *togam duplicem* Servius ad Virgilium. Poſſet quis etiam a כרך, quod pro amictu adcipitur Eſth. VIII. 15. ubi Mardochaeus תכריך בוץ *amictu byſſino* indutus nobis offertur, deducere: nec obſtat, quod in Hebraeae vocis fine ך cernatur, quod potius, ut Χορταιος inde factus jure cre-

credatur, *tau* aut *teth* eſſe deberet : nam bina elementa C & T quam ſaepe apud veteres alternarint , & te non latet, omnium φιλωτατῳ Mari, nec ignorant ii, qui etiam leviter haec ſtudia coluerunt . Sed nec male fecerit alius , ſi a עורות *pellés* derivet; ut e villoſis pellibus conſutae veſtes proprie fuerint Χορταιοι. Dixi, hoc nomen é veteribus permultos Silenorum veſtis ιδιον feciſſe : hic addo , a Polluce alibi Maſſilienſibus quoque tribui : Μασσαλιωτων δε, ὁ Χορταιός, ubi pro Μασσαλιωτων putavi aliquando rectius legi Μαλεατων: apud quos in uſu fuiſſe Χορταιον ipſi mihi ſuadebant Sileni , quorum primum atque antiquiſſimum in ea Laconum urbe lucem adſpexiſſe una ex multis erat antiquorum opinio ; ut proinde eadem de cauſſa Silenis tributi fuerint Χορταιοι, qua Laconicis pileis tectos Jovis filios effinxerunt: Phrygiis Ganymedem, atque Atyn ; aliiſque alios tegumentis , eorum nimirum locorum propriis, e quibus ortum eos duxiſſe fama ferebat . At nunc , cum nulla adceſſerit alia gravior mutandi cauſſa , vulgatam lectionem non puto rejiciendam . Addit porro de hac veſte Pollux , eam a ſervis ως αγοραιον geſtatam Ariſtophanem dixiſſe : τον δε Χορταιον, τὰς προσπολὺς φορεῖν, ὡς ἀγοραῖον Αριστοφανης ἐφη. ubi ἀγοραῖον ut pro *vili* , *abjectoque* adcipiamus ſervi omninó poſtulant : at ſi MSS. librorum lectio recipiatur , qui αντι των προσπολων προπωλας nobis ob oculos proponunt, aliter tum res erit explicanda, προπωλας nempe, qui εν αγορα ſeu rerum venalium foro pro ſui muneris ratione agebant , Χορταιῳ tamquam forenſi veſte uſos fuiſſe. exiſtimavi alias, προσπολυς ac προπωλας in alicujus populi nomen, ex.gr. Προπαλασιων , quorum apud Stephanum mentio exſtat , ſucceſſiſſe, quem populum Χορταιον tamquam forenſem veſtem geſtare conſueviſſe Αριστοφανης ſeu potius Αριστοτελης retulerit. Sed ſatis jam Varronianus locus nos detinuit, cujus in ipſo epiſtolae initio recitatam emendationem his, quae hactenus diſputari, non firmatam ſolum , ſed extra omnem pene dubitationis aleam conſtitutam adſerere nil vereor. Non diſſimulabo tamen , me in ea diu opinione fuiſſe , ut aliquid in loco illo deſiderari multo crederem lubentius, quod alioqui tibi mirum non erit, quem non fugit, libri illi de L. L. Varronis quam manci mutilique ad noſtram aetatem pervenerint: quare tempus nunc eſſet, ut

no-

novam tibi conjectionem aperirem ; niſi in praeſens id facere multis de cauſſis vetarer, nonnullis praeſertim negotiis inpeditus , quae & gravia ſunt , & nullam patiuntur dilationem , e quibus cum extricatus ero , quod brevi factum iri ſpero, alteram ad te epiſtolam dabo, in qua & de Varronis loco, cujus novam proponam emendationem , iterum ſermo redibit, & alia , quae tecum ſervo communicanda, exſequar.

Interrogas, quo tempore iſtuc regreſſum facere ſtatuerim . Scias , cum primum inmodici ſolis ardores, quibus omnia, horum locorum undique, efferveſcunt, miteſcent, ac leniori temperatiorique aura veſci licebit, me ex hoc Acherontino nido evolaturum , noſque mutuo iterum viſuros: quod ut cito fiat, facile in animum induco te votis omnibus exoptare . Quidni cum eo quam citiſſime una eſſe exoptes, a quo tantum amaris, quantum nec ullus antiquorum recentiorumque temporum alterum amavit, nec ullum ab altero amari poſſe vel arctiſſimi quique credant? Porro nec illud velim ignores, me hac ipſa die , qua litteras haſce ad te conſcripſi, quartum luſtrum exegiſſe , & quintum jam , quod fauſtum , felix fortunatumque ſit , ingreſſum eſſe . Vale .

Dabam Acherontiae VI. Kal. Novembr. Anno Ærae vulgaris MDCCLXVII.

P. 2. 12 pro *juriſſque* ſcribe *juriſque* P. 9. 1 pro *Dis*, *Diis* P. 11 16. pro *Uliſſes* ſcribe *Ulyſſes* P. 15. pro *Politicam*, *Politiam*. P. 19. pro *ſubalum*, *ſubolum*. P. 21 24. pro *Turiorum*, *Thuriorum*. P. 23 pro *Enniu*, *Ennius*. P. 77 pro *Poeniciam* ſcribe *Phoeniciam*. P. 30 10. P. 35. 21. & P. 62. 10. pro *quamombrem*, *quamobrem*. P. 36. 25. pro *Criſtianos*, *Chriſtianos*. P. 48. 4 pro *cuſit*, *tudit*. P. 56. pro *uſam*, *aſam*. P. 59. 6. pro *tempeſlas*, *tempeſtas*. P. 60. 18 pro *in lucam*, *in lucem*. P. 61. 22 pro *Phirinus*, *Chirinus*. P. 68. 3 pro *Cecropide*, *Cecropiæ*. P. 77. 10. pro *inbæſiſſic*, *inhæſiſſe*. P. 81. 26 pro *diſcida*, *diſcidia*. P. 83. 18 pro *ſtudioſus*, *ſtudioſos*. P. 88. 8 pro *e*, *&*. P. 93. 2 pro *Salvi*, *Salvii*. Ib. l. 10 pro *hoc*, *hic*. P. 94. 2 pro *legislatorium*, *legislatoriam*. P. 96. pro *L. Cornelius*, *C. Cornelius*. P. 101. 6. deleto particulam illam *ne*. P. 102. 20 pro *hariola tines*, *hariolationes*. P. 108. 6 pro *Aquo*, *Æquo* P. 112. 7 pro *Lydicæ*, *Lydiæ*. P. 131. 10 pro *conſedebat*, *conſidebat*. P. 141. pro *humarum*, *humanarum*. P. 150. 23 pro *Mortis* ſcribe *Martis*. P. 160. 37 pro *exquiſitus*, *exquiſitius*.

Si quæ alia inrepſerunt menda, tute, lector, pro tua humanitate corrigito: atque ita legito, utei jus faſque eſt.

VA1 1524442